QVAESTIONES TIRONIANAE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS PHILOLOGA

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARVM VNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

PAVLVS GODOFREDVS MITZSCHKE

NVMBVRGENSIS.

BEROLINI

IN LIBRARIA REGIA AVLICA

ERNESTI SIGFRIDI MITTLERI EIVSQVE FILII.

MDCCCLXXV.

PATRI OPTVMO DILECTISSVMO

FRANCISCO FRIDERICO AVGVSTO MITZSCHKE

VERBI DIVINI

IN

ECCLESIA CATHEDRALI NVMBVRGENSI ANTISTITI

AVVNCVLO CARISSVMO

CAROLO EDVARDO NIESE

PHILOSOPHIAE DOCTORI PROFESSORI

SCHOLAE ANDREANAE QVAE SVLZAE FLORET RECTORI COMPLVRIVM ORDINVM EQVITI

HASCE PLAGVLAS

PIA GRATAQVE MENTE

D. D. D.

AVCTOR.

I.

De studiis Tironianis.

Tironis et notarum Tironianarum studia, quae diu paene neglecta jacuerunt, ut nostris temporibus laetius efflorescant duae potissimum causae efficere mihi videntur. Quum enim usque ad nostram aetatem soli fere palaeographiae et artis diplomaticae auctores in eam litterarum partem incubuerint, nunc non modo philologi huic disciplinae operam dare coeperunt, quum praesertim Fridericus Ritschelius philologiae princeps discipulis suis, ut hoc quoque antiquitatis monumentum accuratius tractent, suadeat, sed etiam stenographi qui vocantur artis suae originem et historiam animo perlustrantes ultro ad tachygraphiam Romanam et Tironem ejus parentem deducuntur. Ac quis est, qui studiis Tironianis magnam utilitatem et philologis et stenographis ferri posse neget? Illi scientia notarum orthographiam, etymologiam, ipsam grammaticam latinam provehere atque ita historiam linguae latinae illustrare possunt; his cognitione Tironis ejusque tachygraphiae vel optima facultas datur cognoscendi, quomodo ars nostris temporibus pernecessaria a parvulis primordiis profecta tempore procedente ad tantam, quanta nunc utitur, perfectionem exculta sit, et quae ratio intercedat inter veterem tachygraphiam et nostram. Unde quamquam factum est, ut his viginti trigintave annis plures libri et libelli Tironiani scriberentur quam per omnia saecula antea, sane tamen etiamnunc tam multa esse obscura mirari debemus, nam tantum abest, ut omnes quaestiones Tironianae sint ad finem perductae, ut multae restent, quibus illustrandis nemo adhuc operam dederit. Causa vero hujus rei accu-

ratius reputantibus in promptu est. Plerumque enim philologi quid stenographi de Romanorum tachygraphia cogitaverint ac scripserint plane nesciunt, stenographis autem libri de Tirone a philologis editi non satis noti sunt, ut aliae quaestiones quatenus ad philologiam aliae quatenus ad stenographiam spectent, nullae fere utrimque explicatae sint.

Quid igitur? Mea quidem ex sententia studia Tironiana uberiora et feraciora fieri vix possunt priusquam alteri cum alteris consilia sua conjunxerint et utrique noverint, quid alterutri ea de re scripserint. Itaque opus haud inutile facturus mihi videor, si ad temporum ordinem pauca disseram de studiis et praecipue libris Tironianis, quorum equidem notitiam consecutus sum. [1])

Postquam notarum usus ineunte medio aevo paulatim minutus et inde a decimo saeculo prorsus oblivioni traditus est, primus Joannes Trithemius abbas Spanhemiensis et postea usque ad mortem [1516] Herbipolitanus sexto decimo saeculo hoc genus scripturae e sopore quasi exsuscitans triginta notas explicare conatus est in libro, quem de polygraphia ad Maximilianum I imperatorem anno 1508 scripsit. [2]) Cujus operis quum tribus locis de notis loquatur, ea verba afferre mihi liceat, quae docent, quomodo et ubi notarum cognitionem adeptus sit. Dicit enim in sexto polygraphiae libro [pag. 599 sqq.] codicem notarum Ciceronis et Cypriani nominibus insignitum a se repertum esse. *„M. Tullius Cicero facundus Romanorum orator librum scripsit non parvae quantitatis notarum, quem Sanctus Cyprianus Carthaginiensium praesul et martyr multis et notis et dictionibus ampliavit adiciens vocabula Christianorum usibus necessaria, ut opus ipsum fieret non solum utile paganis, sed multo magis etiam fidelibus. Rarus est codex et a me semel duntaxat repertus vilique pretio emptus. Nam quum anno dominicae nativitatis 1497 bibliothecas plures librorum amore perlustrarem, repperi memoratum codicem*

---

[1]) Engelmannus et Kluszmannus in „bibliotheca scriptorum classicorum“, Wigardus in „Lehrbuch der Redezeichenkunst“, Zeibigius in „Geschichte und Litteratur der Geschwindschreibkunst“ opera de Tirone scripta vix dimidia ex parte enumerant. — [2]) Joannis Trithemii abbatis Peapolitani, quondam Spanheymensis ad Maximilianum I Caesarem libri polygraphiae sex cet. Argentorati sumptibus Lazari Zetzneri bibliopolae.

in quodam ordinis nostri monasterio nimia vetustate neglectum, projectum sub pulvere atque contemptum. Interrogavi abbatem doctorem juris, quanti illum aestimaret. Respondit „Sancti Anshelmi parva opuscula nuper impressa illi praeferrem". Ad bibliopolas abii — quoniam in civitate res contigit metropolitana —, postulata Anshelmi opuscula pro sexta floreni parte comparavi; abbati et monachis gaudentibus tradidi et jam prope interitum actum codicem liberari. Decreverunt enim pergameni amore illico radendum. Biennio ferme post haec eques Argentinam in causis ordinis mei ascendi admissusque per Joannem Keisersbergium insignem loci contionatorem in bibliothecam majoris ecclesiae psalterium repperi totum hisdem Tullii et Cypriani notis exaratum aureis capitellis decentissime scriptum. Superscriptio autem ab ignaro mysterii talis fuerat extrinsecus posita „psalterium in armenica lingua". Doctorem adhibui, falsitatem ostendi, ita rescribendum admonui „psalterium notis Ciceronis descriptum". Quod fecerit necne, incertum habeo, quoniam ad eam bibliothecam postea non sum reversus."

Jam vero quaeritur, num Trithemio omnibus in rebus fides habenda sit. Ac primum quidem id constat, editores et commentatores Cypriani de notis ab eo inventis nihil tradere, immo otiose eas illi supponi et jure ne inter quisquilias quidem Cypriani admitti confirmare. Praeter Trithemium aliud testimonium nusquam invenitur, Trithemius unus Cyprianum notarum auctorem et inventorem fecit, quia codicem ejus nomine insignitum a se repertum esse dicit. Itaque ea, quae abbas ille de Cypriano protulit, mera conjectura niti putat Zeibigius [3]), cujus ego quoque in sententiam abire cogor, quamvis Schmitzio et post eum Lehmanno persuasum sit, Cypriani nomen non temere memoratum esse a Trithemio. Nam Wattenbachius in libro, qui inscribitur „Über die Geschichtsquellen im Mittelalter" [4]) tam multa falsa ab illo abbate de

[3]) „Wenn derselbe... Trithemius... die Behauptung aufstellt, dass Thascius Cäcilius Cyprianus, Bischof von Carthago [† 258 n. Chr.] die Commentare über Tironische Noten durch Schriftbilder für neugebildete Worte der Christen vermehrt und das Werk somit auch den Glaubensgenossen nutzbar gemacht habe, so ist dies eben eine blose Behauptung, die er zu begründen unterlassen hat." Gesch. und Litteratur der Geschwindschreibkunst, pag. 59. — [4]) Edit. III. vol. I. pag. 6. Nicht ganz so plump erfunden waren Megenfried,

industria excogitata et litteris mandata esse demonstravit, ut in iis rebus, quae ab alio auctore non confirmantur, Trithemio fidem omnino non possim non abjudicare. Concedendum fortasse est, a librario rei non satis perito Cypriani nomen illi codici inscriptum esse; quae insuper [5]) de Cypriano disserit Trithemius ipse de se addidisse putandus est, ut quam doctissimi hominis speciem sibi compararet.

Praeterea ne de Ciceronis quidem nomine non dubito, quamquam etiam Joannes Baptista Porta, qui eundem codicem inspexisse videtur, dictionario notarum Ciceronis nomine insignito se usum esse dicit. Tiro enim medio aevo interdum aut Marcus Tullius aut Tullius appellabatur, cujus rei testimonio est carmen Ganfridi cujusdam repetitum in Polycarpi Leyseri historia poëmatum medii aevi pag. 973, ubi haec verba de Tirone leguntur:

Tradit imaginibus peregrinis Tullius [5a]) *artem,*
Quam meminisse decet cet.

Benno und andre Schriftsteller, auf welche Trithemius sich in seiner Hirschauer Chronik [1514] berief, und seine Angaben führen deshalb noch jetzt nicht selten irre; hat doch sogar sein Hunibald, dessen lächerliche Larve schon der Graf von Nuenar durchschaute, noch im 19. Jahrhunderte Verteidiger gefunden. — pag. 70 Im 13 Jahrhunderte folgte ihnen Heinrich von Gent und endlich am Schlusse des Mittelalters der vielbelesene aber unzuverlässige Johann von Tritenheim... Die gänzlich unzuverlässigen, zum Teil geradezu erfundenen Angaben des Trithemius sind lange Zeit ohne Prüfung angenommen und werden noch jetzt haüfig unvorsichtig nachgeschrieben. — Vol. II. pag. 359. Angebliche Aufschlüsse über die Urzeit der Franken gewährt uns Hunibald, dessen historiarum libri XVIII (von 440 bis auf Chlodovich) von Trithemius angeführt werden; doch besteht kein Zweifel mehr darüber, dass er von ihm erfunden ist und ebenso auch der für spätere Zeiten von ihm angeführte Meginfredus Fuldensis. Siehe darüber Josef Chmel, Handschriften der Wiener Hofbibliothek I, 312—320. Lobell, Gregor von Tours, 484—490. Böhmer, Fontt. III, pag. XXXII. Paul, de fontibus Trithemii, Dissertation, Halle 1866, pag. 51. Vorzüglich über die Trithemischen Fälschungen überhaupt Carl Wolff, Johannes Trithemius und die älteste Geschichte des Klosters Hirsau, Württemberger Jahrbücher für Statistik 1863, pag. 229. 284. Helmsdörfer, Forschungen zur Geschichte Wilhelms von Hirsau, Göttingen 1874. — [5]) Alio loco polygraphiae adicit: *Cyprianus vero Carthaginiensis ecclesiae sanctissimae praesul ac martyr ipsa Ciceronianae institutionis documenta Christianorum volens providere utilitati haud mediocriter ampliavit et quae nostris defuerant moribus adjunxit.* — [5a]) Etiam Joannes Tilberiensis, qui duodecimo saeculo floruit, in epistula de arte notaria ad Henricum II Anglorum regem data Tironem semper *Tullium* appellat.

Quae quum ita sint, fortasse *M. Tullius* nomen in codice illo conspiciebatur, quod Trithemius et Porta ignari de Cicerone acceperunt, Trithemius praeterea ad suum arbitrium exornavit. Hoc eo verisimilius est, quod Trithemius ipse psalterium Argentoratense *notis Tullii* non Tullii Ciceronis exaratum fuisse perhibet.

Denique etiam libri manu scripti a Trithemio reperti condicionem prorsus aliam fuisse atque ille narrat demonstrare posse propter has causas mihi videor. Josephus Scaliger ad locum Hieronymi qui est in Eusebii chronicis [6]) quum alia tum haec dicit: *Trithemius scribit, se eum codicem nactum fuisse et rarissimum esse. Sed Gruterus noster vir eruditissimus et de bonis litteris optime meritus illum nuper edidit, quem habes in calce inscriptionum.* Quod si verum est — nec quisquam adhuc Scaligerum dignum fide esse negavit — Gruterus in notarum collectione codicem Trithemii aut certe librum ex eo descriptum usurpavit, quod quominus credamus minime obstant Tironis et Senecae nomina libro Gruteriano inscripta, nam Gruterus antiquitatum Romanarum Trithemio multo peritior notas a Cicerone inventas non esse bene cognoverat. Quid quod triginta notae a Trithemio delineatae eodem fere ordine apud Gruterum [7]) leguntur, unde etiam Fabricius [biblioth. lat. edit. Ernest. II, pag. 115] Gruterum libro Trithemii usum esse confirmat. Gruterus vero, postquam in animadversionibus e duobus codicibus se produxisse notas testatus est, ita pergit: ... *libri, quorum unum penes me habeo descriptum ex membranis egregie pictis: alterum vero suppeditavit ut me harum editionem cogitare intellexit vir reverendus D. Joannes Pistorius... Et erat iste quidem nostro longe antiquior verum vocibus aliquot centum pauperior, quas magno temporis intervallo intertexuerant deinde homines Christiani, ex quo tamen dictiones aliquot obsoletioris antiquitatis ideoque a nostro scriba rejectas revocavi retulique inter omissas.* Uter igitur codex Trithemii fuit? Equidem solum de priore cogitare possum, nam in Trithemii libro vocabula satis multa *Christianorum usibus necessaria* legebantur, quae

---

[6]) „M. Tullius Tiro Ciceronis libertus, qui primus notas commentus est, in Puteolano praedio usque ad centesimum annum consenescit." — [7]) Gruterus ipse *subjecerat enim*, inquit, *(Trithemius) triginta verborum notas, quas habemus pag. XXXI, col. 3.*

Pistoriano codici defuisse disertis verbis Gruterus narrat. Quomodo autem quae Gruterus de suo codice disserit quadrant ad condicionem libri Trithemiani? Ille *ex membranis egregie pictis descriptus* fuit, hunc *nimia vetustate neglectum, projectum sub pulvere atque contemptum* invenisse se dictitat Trithemius! Quid plura? Persuasissimum mihi est, Trithemium etiam condicioni reperti codicis de industria ita obtrectasse, quo major ipsius gloria in servatis antiquitatis monumentis fieret.

Ceterum adiciendum est, hunc codicem a Trithemio et Grutero inspectum aut periisse aut certe in latibulo aliquo delitescere, psalterium contra, quod abbas ille repperit, Krausius [8]) dicit etiamnunc in bibliotheca Guelferbytana exstare. Invenitur enim ibi codex inter Augusteos XIII, qui psalterium latinum, orationem dominicam, symbolum apostolorum, fidem catholicam Athanasii notis Tironianis exarata continet. Augustus vero Brunsvicensium dux, quem et arti graphicae et notis Tironis operam dedisse scimus, Gruteriani thesauri exemplo Guelferbytano quum varias annotationes tum ei loco, ubi Gruterus narrat, quomodo Trithemius psalterium invenerit, Krausio teste haec verba manu sua adscripsit: *Invenitur hoc (psalterium) jam in libraria affinis ducis Pomeraniae Philippi, cui dono dedi* et postea addidit: *Recepi post obitum ejus.* Ita Krausio auctore res sese habet, nec est, cur ista verba in Gruteri thesauro revera legi negem. Tamen unus mihi restat scrupulus, qui quominus rem plane perspiciam impedit. Nam idem Brunsvicensium dux nomine usus *Gustavo Seleno* systema integrum cryptographiae publici juris fecit, cujus operis in septimo libro cap. IX, pag. 372, ubi pauca de notis Romanorum disserit, psalterii a Trithemio reperti mentione facta adicit: *Similis codex etiamnunc servatur bibliotheca nostra.* Quum igitur similem librum, non eundem in sua bibliotheca fuisse hoc loco dicat, aut ipse in scribendis Gruteriani thesauri annotationibus ita errasse videtur, ut postea suum psalterium aliud esse ac Trithemii cognoverit, aut illa verba, quae margini ab Augusto adscripta esse Krausius credidit, a nescio quo alio rei non satis

---

[8]) Correspondenzblatt des Kgl. stenographischen Institutes, Dresden 1859, pag. 24.

gnaro profecta esse putanda sunt. Sed uter erraverit dijudicari prius non potest, quam constet quo anno et a quo annotationes libro Gruteriano adscriptae sint.

Quid denique dicam de Trithemio notarum interprete? Non recte quodvis verbum vel quamvis syllabam signo aliquo ad arbitrium inventoris electo notari existimavit. *Memoriam*, inquit (pag. 601), *postulat iste modus scribendi magnam et laborem legendi penitus ingentem, ubi quilibet character aut dictionem significat integram aut syllabam ultimam sive partem orationis aliquam ad compositionem totius idoneam.* Quae quam falsa sint post Koppium patet; nihilominus id Trithemio laudi tribuendum est, quod hominum doctorum animos primus [8a]) ad notas Romanorum intendit. Verum tunc temporis tam perverse de notis cogitatum est, ut Fridericus II elector Palatinus polygraphiam et multos alios libros Trithemii *quod artem magicam docerent* auctore Carolo Bovillo comburi juberet.

De Trithemio et ejus opera in explicandis notis posita nonnulla scripta sunt in foliis stenographicis Austriacis.[9])

Abbatem Herbipolitanum secutus est Petrus Bembus episcopus Iguvinus, qui ad Julium II pontificem Romanum, cui e Dacia liber notis perscriptus missus erat[10]), litteras[11]) dedit, quibus eum hortatur, ut studia notarum quam maxima cura foveret. *Incumbe, quaeso,* ait, *in eam curam et animi tui, qui sua magnitudine capere omnia et complecti potest, partem aliquam huic etiam cogitationi largiare, ut et doctis et probis, si qui sunt — et profecto sunt — perquisitis impressoribus mandes, ut hoc scribendi genus in lucem revocent. Quid enim profecto aut ad tui commemorationem illustrius aut ad doctorum studia hominum accidere commodatius potest, quam ejusmodi artem a Cicerone inventam et in magno honore diu habitam, quod esse percommoda videbatur, omissam autem et ex hominum memoria sublatam penitus injuria temporum annis innumerabilibus tua nunc demum cura pietateque restitui?* —

[8a]) Jam duodecimo saeculo Joannem Tilberiensem notis Tironianis studuisse demum finita hac commentatione accepi. — [9]) Österreichische Blätter für Stenographie, Wien 1862. — [10]) „Erat autem is quidem liber Hygini commentariorum de sideribus quaedam portio.“ — [11]) Petri Bembi epist. ad fam. lib. V, 8.

Valde dolendum est, Bembi consilium ab isto papa, qui alias litteras et artes admodum provexit, neglectum esse, nam ii scriptores qui jam sequuntur a Julio incitati esse non possunt.

Excepit enim Bembum Joannes Baptista Porta, qui in libro *de furtivis litterarum notis vulgo de ziferis* Neapoli anno 1558 primum edito tres notas delineavit, quas ex eo Gustavus Selenus et Hermannus Hugo exscripserunt. Passim praeterea in hoc libro[12]) de tachygraphia Romanorum verba facit falsa plerumque, quia quae notarum esset natura non perspexerat.

Deinde auctor quidam[12a]), cujus nomen non est notum, nonnulla specimina notarum exhibuit.

Jam venio ad Justum Lipsium, cujus clarissima epistula de notis exstat ad Leonardum Lessium societatis Jesu theologum scripta[13]). Hic vir doctissimus primus quaecunque veteres scriptores de notis tradiderunt diligentissime collegit et narrationes eorum partim inter se discrepantes enucleare conatus est. Plura de hac epistula dicere jure profecto omitto, quoniam nemo, qui studiis Tironianis vult operam dare, impune eam neglegere potest.

Brevior et levior ideoque minus nota neque tamen contemnenda est epistula Josephi Scaligeri ad Janum Gruterum a. d. XV. Cal. Sept. 1603 scripta[14]), qua ei edendam notarum collectionem gratulans pulcherrimum codicem notis exaratum sibi ab homine nequam furto subductum esse conqueritur et complures alios libros notis conceptos enumerat.

Quum vero omnes quoscunque adhuc memoravi scriptores vel pauca exempla notarum afferant vel tantum de earum historia in universum loquantur, Janus Gruterus tredecim milia centum triginta notas divisas in quinque commentarios e duobus codicibus anno 1603 edidit[15]), magnum sane et laudabile opus, quod etsi

---

[12]) Praecipue in libri I capp. 1. 3. 13. — [12a]) Ap. Volcan. de litt. Get. pag. 16 sqq. Cfr. etiam Koppii palaeograph. critic. pag. 53. — [13]) Centuria I ad Belgas epist. XXVII. — [14]) Lib. IV, epist. 418. — [15]) Haec collectio primum subjuncta est inscriptionum antiquarum corpori et inscribitur „*Notae Tullii Tyronis et Annaei Senecae sive characteres, quibus utebantur Romani veteres in scriptura compendiaria, ubi littera verbum facit.*“ Heidelbergae 1603 ex officina Commeliniana. Deinde legitur in editione Senecae (1603) sub nomine „*Notae Romanorum veterum, quibus littera verbum facit, Tullii Tyronis Ciceronis liberti et Annaei Senecae erutae nunc primum e*

omnibus numeris absolutum vocari nequit, tamen non minoris animi fuit coepisse quam gloriae ad finem perduxisse. Sed quamvis gratiae habendae sint Grutero, illa ipsa verba in titulo posita *notae, quibus littera verbum facit,* quae esset ratio notarum eum non intellexisse indicant, quod aliis quoque rebus proditur. Nam non modo interpretamenta notarum, quae in codicibus suis habebat, quin recta essent minime dubitans, exscripsit, sed etiam in exscribendis saepius errores commisit, ut falsae passim conspiciantur formae, quarum sane quidem partem aliquantam sculptori haud satis diligenti assignare debemus. Adde quod notae e quot et quibus partibus constarent explicare ne conatum quidem fecit. Quid plura? Haec indigesta notarum moles, ex quo uno fonte per ducentos fere annos tachygraphiae Romanae scientia hauriri poterat, hodie quoque, quamquam Koppii liber multo praestantior est, cuivis, qui notis Tironianis studet, inspicienda est.

Post Gruterum memoro Hermanni Hugonis *de prima scribendi origine* librum, qui Antverpiae 1617 publici juris factus est. Mihi sola secunda editio [16]) aucta a Trotzio praesto fuit, cujus capite duodevicesimo (pag. 168—188) auctor *de occulta scriptione per notas* loquitur. Ac primum quidem de notarum natura et de discrimine quod inter notas et siglas intercedat adjectis duarum notarum, multarum siglarum exemplis haud recte disputat; postea autem, ubi de origine et historia notarum verba facit, non a Maecenate vel Tirone vel Cicerone inventas eas esse affirmat, sed auctore Radero ab Hebraeis circa tempora Danielis prophetae. Ceterum utiliores quam ipse contextus qui vocatur saepius habendae sunt annotationes, in quibus complures libri de notis scripti afferuntur, quorum nonnullos ut adipiscerer mihi non contigit. Itaque saltem eorum titulos nomino. Cyprianus professor Helmstadiensis in disputatione *de siglis* notarum originem ad primitivae ecclesiae scriptores retulit. Rittershusius ad Nov. p. 6. c. 2. n. 6. notarum scripturam a Tirone excultam esse dicit. Plura de tachygraphia

---

bibliotaphiis editaeque a Jano Grutero.“ Praeterea etiam repetita est in editione inscriptionum Graevio-Burmanniana Amstelodami 1707, ubi sub finem alterius tomi conspicitur. — [16]) Hermannus Hugo societatis Jesu de prima scribendi origine et universa rei litterariae antiquitate, cui notas cet. adjecit C. H. Trotz, JCtus. Trajecti ad Rhenum apud Herm. Besseling. 1738.

dedit Sixtus Senensis bibliothecae sanctae libro III pag. 171, de qua vide notas ad histor. litterar. Gundling. P. cap. 1. p. 302.

Qui memoretur haud scio an non sit dignus Gustavus Selenus (Augustus Brunsvicensium dux), nam quae in ejus cryptographia[17]), quam supra memoravi, de notis *Ciceronianis* leguntur, fere nihil novi continent, sed undique conscripta videntur esse. E scriptoribus, quorum libris in scribenda hac parte Selenus se usum esse profitetur, inspicere mihi non licuit Cujacium, cujus 12 observ. 10. memoratur.

Deinde secutus est Gerardus Joannes Vossius, qui in opere quod est *de historicis latinis*[18]) libros a Tirone editos enumerat eique notarum inventionem adscribit.

Copiosius de notis disputat Casparus Schottius, qui quum mathematica et physica opera tum anno 1664 *technica curiosa sive mirabilia artis libris XII comprehensa* Norimbergae apud Endteros edidit. Ad meum consilium pertinet libri septimi caput tertium „de tachygraphia veterum“[19]) scriptum. Ac quamquam Schottius neque recte de notis judicavit[20]), neque ipse nova multa addidit, tamen diligenter et accurate in brevi conspectu posuit, quae usque ad suum tempus cognita erant.

---

[17]) Gustavi Seleni cryptomenytices et cryptographiae libri IX cet. 1624. Lib. VII, cap. 8 et 9 *de dictionum notatione*, pag. 370 sqq. — [18]) Locus, quem dico, invenitur in lib. I. pag. 84 editionis Lugdunensis 1651. — [19]) Praeclaram versionem Germanicam hujus capitis dedit Gustavus Michaëlis in „Zeitschrift für Stenographie und Orthographie“ 1866 Nr. 4. p. 63 sqq. — [20]) Michaëlis hunc locum ita vertit: Ich habe anderwärts versprochen, eine Probe solcher Noten an dieser Stelle zu geben, doch habe ich diese Absicht aufgegeben und unterlasse es, denn es lohnt sich wirklich nicht der Mühe, die Kosten für ihren Schnitt aufzuwenden, da sie so sonderbar und von den Worten, für welche sie supponirt werden, so abweichend und so complicirt sind, dass derjenige, welcher sie erlernen und gelegentlich prompt anwenden will, ein übermenschliches Gedächtnis oder eine ganz exotische oder apprehensive Phantasie haben muss. Dies ist auch ohne Zweifel der Grund, warum der Gebrauch derselben ausgestorben ist und warum in solchen Noten geschriebene Bücher nicht in hohem Werte gehalten worden sind. Dennoch haben Gruter und andre, welche alle oder einige jener Noten vor dem Untergange gerettet haben, der Gelehrtenrepublik insofern einen nützlichen Dienst erwiesen, damit es klar werde, wes Geistes Kinder jene Noten gewesen sind, und ob noch irgend ein Nutzen davon zu hoffen sei.

Post Schottium Sertorius Ursatus libellum de notis Romanorum[20a]) publici juris fecit, quem equidem non nactus sum.

Hunc excepit Joannes Mabillonius, qui etsi notarum rationem minime perspexerat tamen unam paginam libri sui de arte diplomatica[21]) notis complevit Etiam is suis temporibus psalterium notis conscriptum apud Gallos fuisse refert, neque vero ea de re mirari debemus, nam psalmos potissimum a tachygraphiae praeceptoribus ad exercendam scribendi celeritatem discipulis dictatos esse plus semel memoriae traditum est.

D. G. Morhofius quoque in *polyhistore*[22]) de notis et Graecorum et Romanorum breviter disputat.

Jam supra memoravi, quid inter notas et siglas interesset a viris doctis non semper recte cognitum esse. Itaque gratiae habendae sunt Joanni Nicolaio, quod *in tractatu de siglis veterum*[23]) Lugduni Batav. 1703 edito hoc discrimen subtiliter exposuit, simul autem dolendum est, nihilominus ab ipso Nicolaio et etiamnunc interdum siglas et notas temere misceri.

Quae Joannes Albertus Fabricius duobus *bibliothecae latinae* locis[24]) de notis tradit, ea minoris momenti sunt quam aliae ejus viri commentationes, quia hanc notitiam non suae scientiae debuisse sed tantum relata retulisse et insuper in hac ipsa parte scribenda paulo neglegentius videtur elaborasse.

Post hunc Joannes Christianus Klotzius et M. W. Woltherus tribus disputationibus academicis Vitebergensibus[25]) primi quae de Tironis vita, moribus, scriptis memoriae nostrae prodita sunt breviter sed diligenter et quoad fieri potuit plene contulerunt, quod iis multo majori laudi vertendum est, quum ipsi tres illas disputationes vix viginti dierum spatio se scripsisse fateantur.

Quum vero in his disputationibus de notis a Tirone inventis

[20a]) Sertorii Ursati commentarius de notis Romanorum sive explicatio notarum et litterarum cet. Patavii 1672. — [21]) De re diplomatica libri IV. Lutetiae Parisiorum sumptibus Ludovici Billaine in palatio regio 1681, quem librum postea 1704 supplementa secuta sunt. — [22]) Lib. IV. cap. 2. §§. 3 et 4. — [23]) Cap. I. de etymologia et descriptione siglorum. Cap. VI, de arte scribendi per sigla. Cap. VII, de siglorum vel notarum usu. — [24]) Pag. 140 et praecipue pag. 361 = II. cap. 9. §§ 7 et 8. — [25]) Disputatio acad. I de virtutibus in Tirone Ciceronis liberto laudatis cet. Vitebergae 1727. — Disput. acad. II de vitiis in Tirone Ciceronis liberto notatis cet. Viteb. 1727. — Disput. acad. III de vitiis in Tirone Ciceronis liberto falso notatis cet. Viteb. 1727.

nihil fere legatur [26]), Joannes Nicolaus Funccius tribus locis tractatus *de virili aetate latinae linguae [Marburgi Cattorum 1727—1730]* et de Tironis vita, moribus, scriptis et de notis Tironianis copiosius verba facit. Primum [27]) breviter de Tirone Ciceronis librorum canone disputat, deinde [28]) vitam Tironis docte et eleganter narrat, denique [29]) etiam de notarum ac siglarum, quas temere miscet, inventoribus, usu, ratione loquitur fontibus usus, ut ait, magno librorum numero, e quibus horum sola nomina novi:

Bartholinus, de libris legendis dissert. 6.
Boeclerus, de rebus saecull. IX et X pag. 346.
Lambecius, T. 1 biblioth. Vindob. pag. 18.
Guid. Pancirolus, varr. lectt. lib. I cap. 30 et nov. repert. vol. II. tit. 14 cum annotationibus Salmuthii.
Woweryus, polymath. cap. 5.

L. A. Muratorius in libro, quem de antiquitatibus Italiae scripsit [30]), plus unum codicem notis exaratum quum omnino in Italia tum in bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi exstare affirmat. Quod nescio an juvet in memoriam doctorum revocasse, quoniam inter libros notarum, quos nunc fere enumerant, Mediolanensis nullus commemoratur.

Litteras Jacobi Tunstalli ad Middletonium [31]), in quibus (p. 15) Ciceronis ad Atticum epistulas a Tirone collectas esse negat, quasi praeteriens attingo, quo pluribus verbis commorer in Petro Carpentario. Hic enim in alphabeto Tironiano [32]) non modo notarum specimen e codice Parisiensi publici juris fecit, verum etiam summa cum industria notae quid significarent explicare studuit. Cui quum codex regius, quo continentur illae chartae Tironianae, legendus oblatus esset, notas a Grutero editas nequaquam cogitans librum contulit ad specimen notarum a Mabillonio

---

[26]) Sola haec verba inveni, quae Klotzius postquam Tironis scripta enumeravit sub finem addit: *Taceo praeterea librum de tachygraphia notis et siglis per signa scribendi.* — [27]) Pars I. pag. 50. — [28]) Pars II. cap. 5. §. 5. pag. 279. *M. T. Tiro.* — [29]) Pars II. cap. 8. § 8. pag. 373. *De Romanorum notis.* — [30]) Antiquitt. Ital. medii aevi. I. pag. 674. — [31]) Epistula ad virum eruditum Conyes Middleton vitae T. Ciceronis scriptorem auctore J. Tunstall. Cantabrigiae 1741. — [32]) Alphabetum Tironianum seu notas Tironis explicandi methodus cum pluribus Ludovici Pii chartis, quae notis iisdem exaratae sunt et hactenus ineditae cet. labore et studio D. P. Carpentier. Lutetiae Parisiorum 1747.

datarum. *Sed,* inquit, *sive minus attente id fecerim, sive notae manu descriptae ab editis nonnihil re ipsa discrepant, nulla inter eas mihi visa est affinitas. Itaque rei novitate atque insolentia inductus nemine filum praeducente ex hoc labyrintho memet extricare aggressus sum. At quum nihil per multos dies profecissem et ab hoc incepto desistere mihi propositum esset, subito in mentem venit, hanc scriptionem esse e chartarum genere easque ad Caroli Magni aut Ludovici Pii imperatorum tempora referendas. Suspicionem injecerant confirmabantque inserta passim aliquot verba integris litteris scripta, quae in diplomatibus hujusce aetatis saepissime occurrunt. Quid plura? Notas verbis ita ex integro scriptis praemissas divinando conjeci apte interdum ad rem nonnunquam minus recte, ipsa esse verba, quae in chartis editis eodem ordine praeire solent. Sicque progrediendo maxime in chartarum formulis res adeo feliciter cessit, ut unum alterumve diploma totum interpretarer. Sed longe mihi gratior lux affulsit, quum ex ordine codicis in capitulare Ludovici Pii jam a Baluzio vulgatum et in tres quattuorve chartas pariter editas incidi: ex his quippe legendi rationem, quam hucusque animo finxeram, asserere licuit: quemadmodum et ex libris de compunctione cordis S. Joannis Chrysostomi, quorum exstat iisdem notis scripta ad calcem codicis regii vetus interpretatio. Alphabetum ex his omnibus jam conflaveram totumque interpretatus eram codicem, quando de notis a Grutero editis monuit me vir doctus. Illico eas avide inspexi easdemque esse sculptas scilicet haud diligenter atque Mabillonii specimen easdemque prorsus, quas explicare mihi obtigit, intellexi.*

Libro ipsi praemissa est praefatio, qua primum de notarum origine disputatur accurateqne distingui jubetur inter siglas et notas Tironianas. Deinde postquam nonnullos codices notis scriptos enumeravit alphabetum ante oculos ponit, quod signa sequuntur, quibus variae vocum terminationes designantur, ad vocalium ordinem disposita. Tum vero diversos verborum modos sub unius conjugationis forma exhibet, quibus denique subicit verbum substantivum *sum,* pronomina, praepositiones, conjunctiones, quae frequentiora sunt adverbia. His omnibus subjuncta sunt Ludovici Pii capitulare et chartae idque ea ratione, ut a sinistra notae legantur, a dextra eadem litteris vulgaribus concepta.

Alius quoque Francogallus post Carpentarium notas explicare conatus est, Toustinum [33]) dico, quem deinde excepit Germanicus rei diplomaticae scriptor, Joannes Chr. Gattererus [34]).

Quorum uterque quamvis pro viribus tachygraphiae Romanae cognitionem provexerit, tamen ipse Lessingius noster istam scripturam adeo ignoravit, ut in annalibus bibliothecae Guelferbytanae (II, 343) non tachygraphiam sed cryptographiam esse opinatus notas contemptui haberet.

Harlessium [35]) et Heerenium [36]), qui item de Tirone scripserunt, inspiciendi facultas mihi non data est.

Jam vero ad nostrum saeculum deductus sum, cujus initium ab Engelbronnero et Koppio quasi a duobus luminibus illustratur. Ac primum quidem Engelbronneri de Tirone disputationem [37]) ab oblivione immerita vindicare mihi liceat. Nemini enim videtur nota esse quamquam jam Teuffelius eam laudavit et Engelbronnerus omnium quos ad hoc tempus legi sagacissime et doctissime et ita plene Tironem descripsit, ut vix quidquam desideres. Hunc disputationis ordinem aptissimum judicavit, ut in tres partes eam divideret, quarum prima agit de Tironis nomine, aetate, vita, amicitia cum Cicerone, altera de studiis et libris Tironis, tertia quasi appendix quaedam de aliis Tironibus. Recte Engelbronnerus quoque Tironi laudem inventae tachygraphiae Romanae tribuit, de qua docte duobus alterius partis capitibus [38]) loquitur.

Ab hoc libro sejungi nequit Udalrici Friderici Koppii *palaeo-*

---

[33]) Nouveau traité de diplomatique etc. par deux religieux Bénédictins [Toustin et Tassin]. Paris 1750 - 1765. VI tomes. — De notis Tironianis Toustinus in tomo IV disputat. Quod opus quum in Germanicum transtulerit Joannes Christ. Adelungius [Neues Lehrgebaüde der Diplomatik, Erfurt 1759 bis 1769, IX tomm.], addem oportet in tomo quinto ejus versionis Toustini de notis verba legi — [34]) Elementa artis diplomaticae. Gottingae 1765. — [35]) Introduct. in hist. litter. Roman. tom II. pag. 179. — [36]) De fontibus vitar. Plutarch. 1820. pag. 184. — [37]) Disputatio historico-critica de M. T. Tirone M. T. Ciceronis liberto, quam praeside D. J. van Lennep ad publicam disceptationem proponit Jo. Conr. d'Engelbronner Amstelodamo-Batavus. Amstelodami 1804 apud Petrum den Hengst et filium — Andersius semel memorat Lennepii de Tirone librum, quem equidem nusquam invenire potui. Itaque Andersium errasse et Engelbronneri disputationem dicere voluisse crediderim, quum praesertim Lennepii nomen in illius titulo legatur et Andersius leviter plerumque inspexisse libros suos videatur. — [38]) Cap. 4. de Tirone notarum inventore. Cap. 5. de notarum collectionibus Tironis nomine insignitis.

graphia critica[39]), cujus duae priores partes de tachygraphia veterum agunt. Quum igitur Engelbronnerus copiose Tironis vitam et res in universum exposuerit, Koppius descripta et explicata notarum historia et natura quasi supplementum adjecit, ut ambo libri conjuncti unum integrum et omnibus numeris absolutum efficiant. Koppii vero meritum in eo potissimum positum est, quod primus post tot pericula frustra facta notarum rationem recte cognovit easque scripturam litteralem esse demonstravit. Ac quamquam tachygraphiam Romanam a Tirone inventam esse negavit[40]), falso omnes notas eadem ratione formatas esse putavit praetereaque nonnullis in rebus erravit, tamen usque ad hunc diem accuratius, subtilius, plenius opus de notis non exstat Quum Gruterus duobus tantum codicibus usus sit, Koppius septem[41]) inspexit, quorum condicionem pagg. 294 et 316 accurate describit.

Koppium excepit Grotefendus, qui in grammatica latina[42]) notas non ut ille ratione ut ita dicam stenographica sed grammatica tractavit, nam primus ostendit, quomodo orthographia latina cognitione notarum juvari posset.

Alberti Lionii *Tironiana*[43]) eadem fere continent atque Engelbronneri disputatio sed in brevius contracta et partium ordine paululum mutato.

E Gustavi Sarpii *prolegomenis ad tachygraphiam Romanam*[44]) ea tantum novi, quae alii scriptores memorant.

Universam tachygraphiae ideoque etiam notarum historiam copiose neque vero ubique fideliter descripsit F. X. Gabelsbergerus[45]), qui primus tachygraphiam vere Germanicam invenit. Ubi vero intellexit, tachygraphiae rationem paucis annis post ab H. A. Guil. Stolzio[46]) editam sua multo faciliorem et uti-

---

[39]) IV tomi, Manhemii 1817—1829. — [40]) Contrariam Engelbronneri sententiam falsam esse demonstrare conatus est in *Elvers jur. Zeitung* 1829 pag. 218. — [41]) Inter quos vetustissimum, Cassellanum, saeculi octavi. — [42]) Edit. 1820. II. pag. 215 sqq. — [43]) Primum edita sunt in „Seebodes Archiv für Philologie und Pädogogik" 1824, pag. 246 sqq., deinde iterum 1846 simul cum *Maecenatianis*. — [44]) Particula I (unica). Rostochii 1829. — [45]) In praefatione libri *Anleitung zur deutschen Redezeichenkunst oder Stenographie* (Monachii 1834 II partes), cujus editio altera emendatior post mortem auctoris 1850 publici juris facta est. — [46]) Is quoque de Tirone et notis breviter disputat in praefationibus horum librorum

liorem esse, suum systema corrigere instituit nixus ratione in verbis notandis a Tirone usurpata. Putavit enim, notarum rationem prorsus a se perspectam esse, igiturque emendationibus suis inscripsit titulum *Neue Vervollkommnungen in der deutschen Redezeichenkunst oder Stenographie. Mit Erlaüterungen über das von ihm wiederaufgefundene Princip des Abbreviaturverfahrens in der römischen Stenographie, bekannt unter dem Namen „Tironische Noten“* [47]. In quo libro quamquam multa falsa de natura Tironianarum notarum disputat, tamen quoniam quibus regulis et legibus notae formatae sint satis bene exposuit, dignus est qui a doctis magis legatur. Unius Schmelleri de hoc opusculo judicium [48] exstat lectum in academia litterarum Monachiensi, cui Gabelsbergerus librum tradiderat, ut sententiam diceret. Id vero judicium parum valet, quod Schmellerus ipse disertis verbis notarum omnino imperitum et quasi duce usum se esse profitetur aliquo Gabelsbergeri commentariolo, qui post varios errores ad Michaëlem pervenit et ab eo in *Zeitschrift für Stenographie & Orthographie* [49]) publici juris factus est.

Van Assenii de tachygraphia veterum commentationem [50]) non inspexi.

Eodem fere tempore Drumannus in *Geschichte Roms nach Geschlechtern* [51]) Tironis vitam belle descripsit, tantum in transitu attigit notas, de quibus item breviter egit ejus aequalis J. F. Maszmannus in *libello aurario* Lipsiae 1841 edito.

De notis etiam conferenda sunt ea, quae sub voce *notae* Zellius disputat in Paulyi *Realencyclopädie der classischen Altertumswissenschaft.* Accuratius vero vitam, scripta, notas Tironis

---

Theoretisch-praktisches Lehrbuch der deutschen Stenographie, Berlin 1841. — Ausführlicher Lehrgang der deutschen Stenographie, Berlin 1852. editt. 2 et 3 ibid. 1858 et 1861. — [47]) Monachii 1838, duae partes. Editio altera non mutata ibid. 1849. — [48]) Primum singillatim 1844 evulgatum est, deinde repetitum in „Münchner Blätter für Stenographie“ 1855, Nr. 4 et in Michaëlis „Zeitschrift für Stenographie & Orthographie“ 1857, Nr. 6. — [49]) 1859 Nr. 1. Einige Erlaüterungen über das nach den Beobachtungen des Unterzeichneten den Tironischen Noten unterstellte Princip der Prädicatkürzung etc. von F. X. Gabelsberger. — [50]) Iets over het Snelschrift etc. by de Ouden in *De Gids, VIII. Jaargang Nr. 6. pag. 289.* Amsterdam 1844. — [51]) Königsberg 1844. tom. VI, pag. 405 sqq.

sub ejusdem lexici voce *Tiro* [VI, 2, 2207] tractavit Guil. S. Teuffelius, qui idem in historia litterarum Romanarum[52]) de Tirone ejusque notis haud contemnenda profert.

Quae Godofredus Bernhardyus[53]) de notis narrat, ea profecto mihi minus probantur, quia cryptographia, siglae, notae Romanonorum temere miscentur.

De Ennio, quem nonnulli auctore Isidoro Hispalensi[54]) tachygraphiae Romanae inventorem esse existimant, Martinus Hertzius duobus locis[55]) agit, et de notis siglisque non pauca leguntur in Th. Mommsenii editione M. Valerii Probi[56]) quorum vestigia secutus Michaëlis paulo post easdem res tractavit[57]).

Franciscus Wigardus, Gabelsbergeri discipulus, in *Lehrbuch der Redezeichenkunst*[58]) notarum historiam et rationem breviter exposuit, sed falsissime hoc fecit, quod ne levissimam quidem rei cognitionem habebat.

Haud felicior fuit Fr. Julius Andersius, qui rerum Romanarum ignarus in foliis stenographicis Monachiensibus[59]) ridiculo fere modo notas non a Tirone appellatas esse *Tironianas,* sed contra Tironem *quod in arte tironiana bene exercitatus fuisset* nomen suum duxisse contendit. Quod quam falsum sit deinde in iisdem plagulis[60]) Robertus Fischerus demonstravit. Idem Andersius etiam historiam notarum ad Gabelsbergeri exemplum breviter descripsit in *Entwurf einer allgemeinen Geschichte und Litteratur der Stenographie*[61]).

Quid vero dicam de Caroli Erasmi Krausii *grammatica Tiro-*

---

52) Geschichte der römischen Litteratur. Edit. II. 1872. pag. 341. Cfr. etiam pagg. 250. 310. 624. 650. — 53) Grundriss der römischen Litteratur. Edit. III. 1857. pag. 67. De Tirone cfr. etiam pagg. 595 et 682. — 54) Originn. I, 21: *Vulgares notas Ennius primus MC invenit.* — 55) „Sinnius Capito, eine Abhandlung zur Geschichte der römischen Grammatik" 1844 et „Zeitschrift für die Altertumswissenschaft" 1845, Nr. 50. — 56) „M. Valerius Probus de notis" in „Sitzungsberichte der Kgl. Gesellschaft der Wissenschaften zu Leipzig; philosophisch-historische Classe" 1853, pag. 119 sqq. — 57) „Über Ennius grammaticus und M. Valerius Probus de notis" in „Zeitschrift für Stenographie" 1854, Nr. 6. — 58) Dessau 1850, pag. 33—37. — 59) „Über den Namen *Tironische Noten*" in „Stenogr. Blätter, herausgeg. von d. Gabelsb. Stenogr.-Centralverein in München" 1851, pag. 21 sqq. — 60) „Über den Namen *Tironische Noten*". Ibid. pag. 66 sqq. — 61) Cöslin 1855.

niana [62]), quam jure grammaticam dicere vix licet! Auctor nobis nihil offert nisi enumerationem terminationum in declinationibus et conjugationibus occurrentium, verborum auxiliarium et quattuor aliorum verborum sine ratione et ordine e Koppio comportatam. Neque vero Krausius vere tractasse Koppium videtur, nam quamquam in palaeographiae tomo I, quibus ex partibus notae constent, accurate expositum est, ut vere grammatica appellari possit, tamen statim in initio Krausius grammaticam Tironianam non exstare his verbis dicit: *Lexicon Tironianum licet studio Friderici Koppii elaboratum jam ab anno 1819 exstet, grammatica tamen Tironiana desiderabatur, qua notis Tironianis loca latina scribere volentibus omnino opus est. Accinxi me igitur ad hoc opusculum perficiendum perfectumque, quamvis ut bene scio nec consummatum neque absolutum, hic ita publico.* — Jam autem quaeram oportet, quis aequalium nostrorum *notis Tironianis loca latina scribere* velit. Equidem neminem hoc facturum esse puto, quod quicunque linguam latinam celerius scribere aut orationes latinas excipere volunt nunc tachygraphiis facilioribus et melioribus et rationi scribendi nostrae convenientioribus utuntur, quum praesertim ex iis notarum reliquiis, quae etiamnunc exstant, cujusvis vocabuli scriptura minime pateat. Sed Krausius non solum quae desunt audacter addidit *formas nondum usu satis confirmatas* esse dicens, verum etiam falsa notarum interpretamenta exhibuit, de quibus agens Michaëlis [63]) comprobante Mauritio Hauptio primus demonstravit, quomodo ipsi grammaticae latinae e studio notarum utilitas oriri posset. — Pretii multo majoris sunt ceterae Krausii commentationes. Primum enim quum jussu collegii supremi, quod interiores Saxoniae res administrat, Guelferbytum profectus codices notarum qui ibi asservantur inspexisset et delineavisset [64]), accuratam eorum descriptionem evulgavit in plagulis ab instituto stenographico Dresdensi editis [65]). Deinde etiam

---

[62]) Grammatica Tironiana Caroli Krause Dresdensis phil doct. et ll. aa. mag. ab ordine philosophorum academiae Georgiae Augustae Gottingensis rite ac legitime creati. Dresdae 1853. — [63]) „Grammatica Tironiana" in „Zeitschrift für Stenographie" 1854, Nr. 1. pag. 36 et brevius in „Archiv für Stenographie" 1854, Nr. 62. pag. 28. — [64]) Exemplum Krausianum bibliothecae instituti regii stenographici Dresdensis insertum est. — [65]) Bericht über die auf der Wolfenbüttler Bibliothek befindlichen in Tironischen Noten

in universum de tachygraphia Romanorum duobus locis verba fecit[66]).

Julii Tardifii Francogalli, quem de illustrando notarum Tironianarum systemate post Koppium omnium maxime meruisse dicit Schmitzius, commentationem[67]) inspicere mihi non licuit.

Ex hoc tempore studia Tironiana in una Germania floruerunt, nam irrita est spes, qua Henricus Kriegius[68]) quum alios tum me implevit, etiam in Italia notas Tironianas a schola palaeographica Veneta tractari. Postquam enim fretus Kriegii verbis epistulam dedi ad Toderinium illius scholae rectorem, mihi hoc responsum est: „*Mihi displicet Vobis enunciari, quod in hac Schola palaeographica ob non tam vetustam seriem chartarum Venetarum, quae in Archivis servantur, Tyronianis notis parum studetur, et documentis alienis propter hoc studium necesse est quandoque recurrere. Igitur inter hujusce Scholae editiones et fac-similia nulla de notis Tyronianis agit.*“

In Germania vero potissimum ii stenographi, qui a Gabelsbergero profecti sunt[69]), magistri exemplum secuti notis operam

---

geschriebenen Codices, in „Correspondenzblatt des Königl. stenogr. Instituts“, Dresden 1859, pag. 23 sqq. — [66]) Zur Geschichte der alten Stenographie, Correspondenzblatt etc. 1859, pagg. 29 et 47. — Römische Stenographie, Wissenschaftl. Beilage der Leipziger Zeitung 1859, Nr. 48. — [67]) Jules Tardif, „mémoire sur les notes Tironiennes“, in „mémoires présentés par divers savants à l'académie des inscriptions et belles-lettres de l'institut impérial de France“, 2ième série, tom. III 1854, pag. 104 sqq. — [68]) Krieg, die Stenographie auf der Wiener Weltausstellung im Jahre 1873, pag. 55: „Bei einer ziemlich eingehenden Besichtigung der sehr reichhaltigen Ausstellung der Königlichen paläographischen Schule in Venedig, ein Institut [sic!], das durch Verordnung der k. k. österreichischen Regirung vom 8. März 1855 ins Leben gerufen worden ist, überzeugte ich mich von dem haüfigen Auftreten Tironischer Noten in den alten ausgestellten Documenten und fand denn auch in dem der Ausstellung beigegebenen Auszuge aus dem Regulative der paläogr. Schule die Bestimmung, dass die Mitglieder derselben sich amtlich mit dem Studium „der Stenographie der Alten“ zu beschäftigen haben.“ — [69]) Jam in primo eorum conventu [Monachii 1852] quaestio proposita erat: „Wie kann die Kentnis der Tironischen Noten mehr befördert werden?“ Sed tunc paene silentio eam praeterierunt: „In Erwägung, dass das Studium der Tiron. Noten vorzugsweise von Lehrern der Stenographie getrieben werden wird; in fernerer Erwägung, dass mit einer kurzen Erlaüterung bei dem groszen Umfange des Stoffes niemandem gedient sein und ein derartiges Unternehmen für das verhältnismäszig geringe Publikum, das

dederunt. Inter quos haud equidem scio an nemo inveniatur historiae tachygraphiae peritior Julio Zeibigio, qui postquam brevius de veterum tachygraphia egit[70]) historiam quum totius tachygraphiae tum notarum Tironianarum praeter ceteros accuratissime persecutus est in libro Dresdae 1863 et 1867 edito[71]).

Quae Aemilius Bierejus nixus Koppii sententia de notarum origine et de emendatione loci Isidoriani profert[72]), ea profecto falsa et leviora sunt, quam ut plura verba faciam.

Paulo antea in bibliotheca Gotvicensi notarum codex repertus erat, de quo apud academiam litterarum Vindobonensem docte disputavit Th. Sickelius [73]), qui idem in *Urkunden der Karolinger*[74]) de Romanorum tachygraphia egisse dicitur.

Deinde Joannes Conr. Daenikerus de tachygraphia veterum in conventu societatis antiquariae Turicensis orationem habuit [27. Sept. 1862], cujus epitome ni fallor in aliquibus actis diurnis Turicensibus evulgata est.

Post eum H. Peter in libro de fontibus Plutarchi[75]) edito exposuit, quatenus Plutarchus Ciceronis vita a Tirone scripta usus esse videatur.

Notarum collectiones quomodo paulatim accreverint, dilucide demonstravit Osc. Lehmannus in dissertatione, quae inscribitur *Quaestiones de notis Tironis et Senecae*[76]).

Paucis sed subtiliter et perspicue de Tirone et notis Tiro-

---

sich zur Zeit dafür finden wird, zu teuer kommen wird und dass doch immer wider die vorhandenen Quellen ohnehin zu studiren sein wurden, geht die Versamlung über diese Frage zur Tagesordnung über." Cfr. Michaelis. Zeitschrift für Stenographie 1853, pag. 50 — [70]) Mitteilungen aus dem Gebiete der Stenographie. (I. Stenographie der Alten) in „Wissenschaftl. Beilage der Leipziger Zeitung", Nr. 21 zu Nr. 62, 1856. — Einiges über die Tachygraphie der Alten und das Studium derselben, in „Correspondenzblatt des Königl. sten. Inst.". Dresden 1867, pagg. 31. 37. 43. — [71]) „Geschichte und Litteratur der Geschwindschreibkunst" 1863, pag. 18 sqq. 162 sqq. „Nachträge" 1867, pag. 271 sqq. — [72]) E. Bierey, „eine neue Hypothese über die Entstehung der Tiron. Noten" in „Correspondenzbl. des Kgl. stenogr. Instituts", Dresden 1863, Nr. 8. 9. 10. pagg. 49. 60 65. — [73]) „Das Lexicon Tironianum der Göttweiger Stiftsbibliothek". Sitzungsber. der Kaiserl. Acad. der Wissenschaften zu Wien. Phil.-hist. Classe 38, Heft I. 1861 Octob., pag. 3 sqq. — [74]) I, pag. 326. — [75]) Die Quellen des Plutarch in den Biographien der Römer neu untersucht von Dr. H. Peter. 1865, pag. 129 sqq. — [76]) Lipsiae 1869. — Guil. Schmitzius et Jul. Zeibigius de hac dissertatione verba fecerunt in „Correspondenzbl. des Kgl. stenogr. Instit." Dresden 1869, Nr 7, pag. 54.

nianis egit Petrus Wildus[77]), cujus libellum iis commendaverim, qui brevi tempore summam vitae Tironianae et notarum rationis cognoscere volunt.

Hunc secuta est Antonii Kuehneltii historia et explicatio notarum Romanarum[78]), de quo libro non possum non repetere Kriegii judicium[79]): *Diese der Leipziger Universität behufs Erlangung des Doctorgrades eingereichte Dissertation enthält nichts neues, erweist sich vielmehr in der Hauptsache als ein Auszug aus der Zeibig'schen Geschichte der Geschwindschreibkunst und dem Kopp'schen Werke „palaeographia critica".* Quum enim altera pars, quae est de notarum ratione, Koppio potissimum nitatur, pars prior, qua historia continetur, prorsus e Zeibigio, cujus ne mentio quidem facta est, videtur ita exscripta esse, ut auctor ipso discrimine inter Graecos et Romanos neglecto Romanorum notas et tachygraphiam Graecorum temere confuderit.

Tachygraphiam Romanam etiam Hermannus Hagenus tractavit oratione apud conventum stenographorum Helveticorum Bernae habita, cujus epitome legitur in ephemeride Augustana[80]).

Caroli Faulmanni de notis Tironianis commentatio[81]) quamquam fere exscripta est e Koppii aliorumque libris idque satis mendose, tamen propterea alicujus pretii est, quod quae ratio intercedat inter notas Romanas et tachygraphiam hujus aetatis passim demonstrat.

Eodem anno in plagulis stenographicis Monachiensibus commentariolus Henrici Steinmanni[82]) publici juris factus est, quo nonnullorum doctorum virorum, qui his tribus saeculis floruerunt, de notis sententiae tractantur.

---

[77]) „Einiges über Tiro und die Tiron. Noten." Programm der Studienanstalt zu Passau zum Schlusse des Schuljahres 1869–1870. Cfr. Münchner Blätter für Stenographie 1870, Nr. 10, pag. 79. „Tironische Noten." — [78]) Über Geschwindschrift der Alten. Versuch einer Geschichte der unter dem Namen *Tironische Noten* bekannten Tachygraphie der Römer. Von Anton P. Kühnelt. Als Manuscript gedruckt. Wien 1871. Selbstverlag des Verfassers, Schwarzenbergplatz 18. — [79]) Die Stenographie auf der Wiener Weltausstellung, pag. 21. — [80]) „Die Stenographie bei den Alten." Beilage zur Augsburger allgemeinen Zeitung, Nr. 273, 30. September 1873. Haec autem narratio sumpta est ex ephemeride Helvetica, quae inscribitur „Der Bund". — [81]) „Die Tironischen Noten", in „Kammerstenograph", Wien 1873, Nr. 1—6, pagg. 10. 26. 43. 60. 73. 90. — [82]) „Ansichten und Abhandlungen

Paulo copiosius idem consilium persecutus est Hermannus Hornius[83]), qui potissimum Koppii, Fabricii, Lipsii de notis sententias exposuit.

Optime vero omnium qui nunc vivunt de tachygraphia Romanorum meruit Guilielmus Schmitzius Coloniensis, quem notarum longe peritissimum esse facile credideris. Is enim non solum in *Tironianis*[84]) codices notis exaratos descripsit multasque quaestiones Tironianas tractavit, verum etiam ad illustrandam linguae latinae historiam e notis fructum capere longa commentationum serie coepit. Quae quum omnium usui facilius pateant, solum titulos attulisse satis sit:

Rhein. Mus. für Philol. tom XVIII (1863) pagg. 145, 599. Zu der sogenannten notae Tironis ac Senecae,
tom. XXIII. (1868) pag. 199. Lecticocisium.
tom. XXV. (1870) pagg. 161, 312, 429. Zu den Tiron. Noten.
tom. XXVI. (1871) pagg. 146, 616. Zu den Tiron. Noten. pag. 343. Aus den Berner Noten.
tom. XXVIII. (1873) pag. 339. Zu den Tiron. Noten. pag. 485. Versetzung von Noten.
tom. XXIX. (1874) pag 345.
tom. XXX. (1875) pagg. 124, 302.
Jahrbücher für class. Philol, tom. XCV. (1867) pag. 852. Orthistrotum.
tom. XCVII (1868) pag. 599. Zur Straszburger Handschrift der Tiron. Noten[85]).

Praeterea autem Schmitzius novam et litterarum condicioni nostrae convenientem editionem notarum facere instituit, cujus jam initium

---

aus den letzten drei Jahrhunderten über Stenographie und ihre Stellung bei den Römern." Münchner Blätter für Stenographie 1873, Nr. 2, 3 und 4. pagg. 9 et 17. — [83]) „De notis Tironianis"; Notarius, acta societatis stenographorum latinorum 1873, Nr. 9, pag. 69. „De tachygraphia Romanorum quid a medii et recentioris aevi hominibus scriptum et judicatum sit." Notarius 1874, Nr. 1. 2. 3. pagg. 3. 12. 18. — [84]) Tironiana, in „symbola philologorum Bonnensium in honorem Fr. Ritschelii collecta" II. pag. 531 sqq. — Cfr. etiam Martini Hertzii de hac commentatione verba in „Jahrbüch. für class. Philol." XCVII (1868), pag. 236. — [85]) Hic codex a Schmitzio delineatus postea incendio bibliothecae Argentoratensis periit.

evulgatum est in panstenographico[86]). Ac primum quidem quasi praefationem quandam *de Romanorum tachygraphia* commentationem cum alphabeto notarum praemisit[87]). Deinde secuta sunt *Studien zur lateinischen Stenographie,* quorum prima parte[88]) notarum Matritensium antea non editarum descriptionem et indicem et apographum ad archetypi similitudinem in septem tabulis delineatum exhibet. Secunda parte eadem ratione[89]) duos codices notarum Bernenses[90]) tractat, quarum numerus haud exiguus septuaginta quinque tabulas complens et a Kriegio sollerti manu delineatus appendicis loco ipsi operi additus est.

Nuperrime Valentinus Rosius in *Herme*[90a]) utilem commentariolum de notis evulgavit, quo Joannis Tilberiensis Angli de tachygraphia Romanorum sententiam adhuc ignotam exposuit.

De Tironis vita et scriptis ego disputavi in „Michaëlis, Zeitschrift für Stenographie und Orthographie“[91]), quae commentatio etiam singillatim edita est[92]).

Pauca de notis Tironianis leguntur etiam in his libris: „K. Faulmann, Kurzgefasste Geschichte der Buchstabenschrift und der Stenographie“, pag. 21 sqq. et „K. Böttger, Sprache und Schrift“.

Denique adiciam oportet, aut copiosius aut brevius de notis

---

[86]) Panstenographikon. Zeitschrift für Kunde der stenographischen Systeme aller Nationen. Herausgegeben im Auftrage des Königl. Sächs. Ministeriums des Innern von den Professoren H. Krieg und Dr. Zeibig. I. Band. 1869—1874. — [87]) Bd. I, Lfg. 1. pag. 11 sqq. — [88]) Die Madrider Noten. Bd. I, Lfg. 2. pag. 89 sqq. — [89]) Studia tachygraphica latina II. „Notae Bernenses“. Panstenogr. I, Lfg. 3 und 4. pag. 193 sqq. „Notarum Bernensium index alphabeticus et analyticus“ ibid. pag. 337 sqq. [90]) Schmitzius hos codices a Petro Daniele e miserrimis Floriacensis bibliothecae [1561 et 62] naufragiis conservatos esse censet. Quae sententia praeter causas a Schmitzio prolatas eo mihi probatur, quod in monasterio Floriacensi etiam decimo saeculo notas tractatas esse verisimile est. Pertzius enim in monumentis Germaniae historicis [tom. II. pag. 225] quattuor notas [= Abbo abbas monasterii Floriacensis vel simile quid] exhibet, quae in mediis annalibus Floriacensibus ad annum 988 leguntur. — [90a]) „Ars notaria. Tironische Noten und Stenographie im 12. Jahrhundert.“ Hermes tom. VIII, pag. 303 sqq. — De hac commentatione cfr. Schmitzium. Rhein. Museum XXX (1875), p. 124, et Michaëlem, Zeitschrift für Sten. und Orth. 1875, Nr. 2, pag. 17 sqq. — [91]) „M. Tullius Tiro“ 1875, Nr. 1, pag. 1 sqq. — [92]) Berlin 1875, E. S. Mittler & Sohn.

agi in quovis libro de historia tachygraphiae scripto, quorum indicem apud Zeibigium [93]) videbis.

Jam finiveram hanc partem, quum amicus me monuit de nonnullis libris, quos usque ad hoc tempus non noveram. Itaque saltem titulos appellare liceat:

J. Brodaeus, Miscellan. lib. IV. cap. 9. Basileae 1555.

J. Cannegieter, Disquisitio de notis et siglis veterum.

Eschenbach, Diss. acad., pag. 226 sqq.

Radulphus Fornerius, Rerum quotidianarum lib. III, capp. 2 et 3.

J. Guil. de Goebel, De notariis veteribus dissertatio, in Baringii clave diplomatica, edit. II. Hannoverae 1754. pag. 197 sqq.

Imm. Frid. Gregorius, De scribendi genere *διὰ σημείων*, in actis societat. latin. Jenensis. Vol. II. pag. 107, § 5.

Bern. Mallinkrot, Liber de litteris earumque origine et natura, Monasterii 1639, cap. 24.

Franciscus Polletus, Historia fori Romani, Francofurti 1676.

Pretten, De notis sive sigillis antiquorum, Cizae 1660.

II.

De Tironis nomine et origine.

Fuerunt et sunt etiamnunc, qui Tironis nomen per *y* litteram scribant, quod eum a Plutarcho *Τύρωνα* nominatum esse et hominem Graecum fuisse aut certe servorum more nomen Graecum habuisse dicant. Ac profecto si *Tyro* scribitur, vox Graeca sit necesse est, quia *y* littera non invenitur in vocabulis vere latinis, sed tantum in iis, quae e Graeco sermone recepta sunt.

Quam sententiam quum jam Engelbronnerus [I, 1] refutare conatus sit, equidem nova nonnulla argumenta addam, quibus hanc

---

[93]) Geschichte und Litteratur der Geschwindschreibkunst, pag. 161 sqq.

quaestionem plane ad finem perductum iri mihi persuasum est. Primum enim ad meliorum codicum fidem nunc fere etiam apud Plutarchum non *Τύρων* legitur, sed *Τίρων*, quae vox Graeca esse nequit. Nam quoniam Graeca nomina semper propemodum manifestam notionem habeant, *Τίρων* autem in Graecorum lingua nihil omnino significet, fieri vix potest, quin vocabulum Graecum esse negemus. Deinde quis est, qui servos Romanorum omnes Graece appellatos esse affirmet? An *Laurea, Statius, Aquila* servorum nomina non sunt latina? Itaque nihil obstat, quominus Tironi quoque nomen latinum fuisse censeamus, quum praesertim hoc ipsum cognomen *Tiro* haud ita raro apud Romanos usurpatum esse videatur. Inveni enim praeter nostrum Tironem septem alios, scilicet Numisium Tironem [Cic. or. Phil. II. 4, 8. V. 6, 18. VIII. 9, 26. XII. 6, 14. XIII. 2, 3. Script. bell. Afric. 54], Tironem Sabinum [Plin. hist. nat. XIX. 10 (57)], Apinium Tironem [Tacit. hist. III. 57. 76], Julium Tironem [Plin. epist. VI, 31, 7], Calestrium Tironem [Plin. epist I. 12. VI. 1. 22. VII. 16. 23. 32. IX. 5], Aemilium Tironem [Ulp. leg. I digest. de effract. et expil.], Attium Tironem Delphidium [Auson. epigr.], de quorum scriptura nemo dubitat. His Engelbronnerus et Lionius locos ex inscriptionum collectionibus satis multos adjungunt, ubi item expresse *Tiro* scriptum est, scilicet apud Gruterum pagg. 152, 4. 358, 3. et apud Graevium pagg. 84, 2. 89, 5. 150, 4. 302, 1. 520, 2. 566, 7. 820, 11. 1135, 6. 1157, 6. Quod vero Klotzius in prima dissertatione nugatur, etiam feminae nomen Tironi esse apud Propertium [II. 28, 51 = III. 26, 5] in hoc versu:

Vobiscumst Iope, vobiscum candida T i r o

id mero errore nititur, nam Propertius dicit *Tyro* [*Τυρώ*], feminam Graecam, Salmonei filiam, Crethei uxorem, Peliae et Nelei a Neptuno matrem, quae jam in Odyssea quum lib. II, 120, tum lib. XI, 235 sqq. his verbis:

Ἔνθ᾽ ἤτοι πρώτην Τ υ ρ ὼ ἴδον εὐπατέρειαν,
Ἣ φάτο Σαλμωνῆος ἀμύμονος ἔκγονος εἶναι,
Φῆ δὲ Κρηθῆος γυνὴ ἔμμεναι Αἰολίδαο cet.

memoratur.

Insuper haud verisimile est, Tironem Graecum fuisse primum propterea, quod Cicero [1]) eum Graecis hominibus opponere videtur, tum quod Gellius [2]) eum ab ineunte aetate i. e. pueritia liberaliter institutum esse sive ab aliis sive a Cicerone ipso refert. Quum autem servi tam parvuli fere non emerentur, Tironem vernam in Ciceronis majoris domo a serva natum esse crediderim.

Sed etiamsi concedimus, haec argumenta non sufficere, accedit ratio grammatica, quae quominus Tironem Graecum putemus omnino impedit. Romani enim in adjectivis a nominibus propriis derivandis accuratissime distinguunt inter nomina vere latina et nomina e sermone Graeco recepta. Singillatim e nominibus virorum propriis Graecis in *o* et *on [-ων -ωνος* et *-ονος]* desinentibus adjectiva Graecorum more in *-icus* aut *-ius (-eus)* formantur ut *Plato-Platonicus* [3]), *Arion-Arionius* [4]); a talibus autem nominibus vere latinis adjectiva in *-ianus* desinentia ducuntur, verbi gratia *Catonianus* [5]), *Varronianus* [6]). Haec norma paene ad finem primi post Christum natum saeculi ita valuit, ut tunc primum his nominibus propriis latinis etiam terminatio Graeca subjungeretur, cujus rei primum exemplum *Maroneus* apud P. Papinium Statium [7]) inveni, qui idem formam regulae convenientem *Maronianus* alio loco [8]) usurpat. Ea autem ratio, ut Graeca nomina propria afficerentur latina terminatione *-ianus,* quinto demum saeculo valere coepit. Primum exemplum *Philonianus* apud Marcellum Empiricum legitur, qui ineunte quinto saeculo scripsit, quum apud Sammonium Serenum initio tertii saeculi *Philonius* conspiciatur. Item quum etiam Augustinus [9]) adjectivo *Zenonicus* usus sit, postea *Zenonianus* usurpatum est. A Tirone autem Gellius [10]) medio secundo saeculo duxit adjectivum

---

[1]) Ep. ad fam. XVI. 4, 2. Lyso enim noster vereor ne neglegentior sit primum quia omnes Graeci, deinde cet. — [2]) Noct. Attic. VII, 3. — [3]) Cic. offic. I. 1, 2. Quoniam utrique, Socratici et Platonici, volumus esse. — [4]) Prop. II. 26, 18 = III, 21, 16. Qui, puto, Arioniam vexerat ante lyram. — [5]) Cic. ad Quint. frat. II. 4, 5. Et tabulam proscripsit, se familiam Catonianam venditurum. — [6]) Liv. XXIII. 38, 9. Milites Varroniani. — [7]) Silv. IV. 4, 55. Maroneique sedens in margine templi. — [8]) Ibid. II. 7, 73—74. Haec primo juvenis canes sub aevo, ante annos culicis Maroniani. — [9]) Advers. Pelag. II, 10. — [10]) Noct. Attic. I. 7, 1. ..libro spectatae fidei, Tironiana cura atque disciplina facto. XIII. 21, 16. ..in uno atque altero antiquissimae fidei libro Tironiano.

Tironianus, praeter quod aliud non invenitur, unde certissime effecitur, vocem esse latinam.

Quae quum ita sint, facultas mihi datur nonnullorum sententias de notarum nomine refutare. Ac primum quidem Koppio persuasum est neque Tironem neque alium quemquam hoc scripturae genus finxisse aut celeriter scribendi causa excogitasse, contra notas ex velociter scribendi studio sensim et improviso enatas esse, ita ut quod Cicero[11]) de verbis dicat etiam de notis valeat, earum structuram natura magis casuque nonnunquam, haud ratione aliqua aut observatione factam esse. Unde vero notas *Tironianas* appellatas esse existimat? Quia tirones i. e. juvenes sumpta virili toga eas didicissent. Quod quominus concedamus primum obstat ratio grammatica, quae a nomine appellativo *tiro* duci adjectivum *Tironianus* vetat. A nominibus appellativis in *-o, -onis* desinentibus adjectiva aut aliter aut omnino non derivantur, ita a *carbo carbonarius,* a *sermo sermonalis,* a *leo leoninus;* terminatio *-ianus* solum nominibus propriis subjungitur, nomini appellativo nulli.

Deinde quis exploravit, notas a tironibus potissimum exercitatas esse? Nemo profecto, immo etiam pueros eas didicisse memoriae proditum est. Ita Diocletianus in edicto de pretiis rerum venalium[12]) constituit, ut notario i. e. notarum praeceptori *in singulis p u e r i s menstruos denarios septuaginta quinque* darent, et Joannes Cassianus Imolae notas docuit p u e r o s teste Aurelio Prudentio Clemente, qui dicit:[13])

Praefuerat studiis p u e r i l i b u s et grege multo
Septus magister litterarum sederat
Verba notis brevibus comprendere cuncta peritus
Raptimque punctis dicta praepetibus sequi,

et

Agmen tenerum ac p u e r i l e gubernans
Fictis notare verba signis imbuens.

Adde quod codex notarum Matritensis notas *ob eruditionem i n f a n t i u m* inventas esse refert. Causas, quas e notarum natura

---

[11]) Brut. 8, 36. — [12]) Th. Mommsen, Diocletians Edict de pretiis. 1851, pagg. 21 et 74. — [13]) *Περὶ στεφάνων* IX, 21 sqq. et 35.

petitas Koppius ad sententiam suam defendendam profert, pluribus refutavit Zeibigius.[14])

Post Koppium Andersius argumentis ridiculis ne dicam nullis nixus, quod supra memoravi, notas a Tirone appellatas esse negavit, sed contra Tironem quod in arte tironiana bene exercitatus fuisset nomen suum duxisse. Huic una eadem lex grammatica, de qua modo egi, obstat.

Ad extremum Kuehneltius nescio cujus sententiam proferens idem ac Koppius de notarum origine statuere videtur, sed *tironianas* putat dictas esse, quia notis verborum tirocinia i. e. initia sola scribebantur. Quid vero? Idem Kuehneltius, qui de tachygraphiae Romanae natura multa nobis narrat, eam notarum rationem fuisse putat, ut tantum initia verborum scriberentur Hebraeorum more, a quibus talia scripturae compendia ראשי תבות = capita i. e. initia dictionum vocabantur! Quisquis vel levissimam notarum cognitionem habet, is non solum initia sed etiam terminationes et alias partes verborum in tachygraphia Romana scriptas esse haud ignorat. Ac quomodo tirocinium idem significare potest atque initium? Tirocinium semper ut ita dicam subjective usurpatur, objective nunquam. Denique qua ratione adjectivum *tironianus* a substantivo *tirocinium* duci possit equidem non intellego.

Omnes autem hi viri unum neglexerunt, quo perpenso sententias suas non protulissent. Quaeritur enim, quis primus notas appellaverit *Tironianas.* Atque apud veteres scriptores quicunque tachygraphiam memorant ubique de notis in universum agitur nusquam de Tironianis. Causa perspicua est. Romani unam tachygraphiam habebant, ut ab aliis eam secerni necesse non esset, ideoque simpliciter de notis agunt, ut nos simpliciter de lithographia loquimur, non de lithographia Senefelderi, quia praeter Senefelderianam alia non exstat. Ubi vero Trithemius sub finem medii aevi libros notis exaratos invenit, *Ciceronianam institutionem* notas vocavit, quod nomen usque ad Gruterum valuit, qui re accuratius perspecta Tironem et Senecam inventores nominabat. Inde per duo fere saecula *notae Tironis et Senecae* appellatae

[14]) Geschichte und Litteratur der Geschwindschreibkunst, pag. 19—20.

sunt, dum a primo Carpentario *alphabetum Tironianum* et *notae Tironianae* usurparentur. Is autem de tironibus vel tirociniis verborum minime cogitans appellationem duxit a Tirone, qui quin revera notarum inventor fuerit post Zeibigium nemo jam dubitat.

Restat, ut paucis eam quaestionem attingam, quando Tiro natus esse putandus sit. Unus ea de re locus nobis exstat apud Hieronymum in chronicis Eusebii ad annum a. Chr. n. quartum, ubi Tiro usque ad centesimum annum consenuisse narratur. Quibus verbis *usque ad* quamquam temporis momentum prorsus certum non indicatur, tamen natum amplius undecentum annos centesimum ipsum non confecisse eum significare scriptor videtur. Hieronymus autem illis verbis aliud dicere vix potest, quam anno quarto a. Chr. n. Tironem mortuum esse, igiturque anno fere centesimo tertio eum esse natum crediderim, ut tribus annis Cicerone junior fuerit. Engelbronnerus vero Hieronymi verba aut errore aliquo aut neglegentia anno quarto adscripta esse putans rem ita sese habere negat, quod Tironem multo juniorem Cicerone fuisse oporteat, quippe qui a patrono plus semel [15]) *adolescens* appellatus sit. Sed mihi hic scrupulus non probatur, nam adolescentiae initium quidem definiri potest, exitus autem certis finibus circumscribi nequit, quoniam in vocabulo ipso notio anni alicujus minime inest. *Adolescens* ducitur a verbo *adolescendi* ideoque hominem significat, dum corpus et facultates adolescunt, unde adolescentiae aetatem ingravescentem i. e. eam, ubi vires jam languescunt, Cicero ipse opponit. [16]) Ac quum idem in oratione Philippica II. 46, 118 rempublicam contra Catilinam a se adolescente i. e. quadraginta quattuor annos nato defensam esse dicat, non dubito, quin adolescentem appellaverit Tironem quoque plus quam quinquagenarium, cujus vires certe tunc temporis nondum languescebant, quum etiam postea tot officia Ciceroni praestiterit.

---

[15]) Ad Attic. VI. 7, 2. Nihil enim illo a d o l e s c e n t e castius, nihil diligentius. VII. 2, 3. Tironem Patris aegrum reliqui a d o l e s c e n t e m. — [16]) Ep. ad fam. II, 1, 2.

III.

De notarum Tironianarum et siglarum discrimine. Sigla vox unde ducenda sit.

Diu priusquam tachygraphia quae proprie vocatur a Tirone inventa esset, apud Romanos scribendi compendia minus perfecta usurpabantur, in quibus pro perscriptis vocabulis ipsis eorum littera initialis aut sola aut additis una duabusve aliis litteris ponebatur, verbi gratia P. R. = populus Romanus, R. P = respublica, S. C. = senatus consultum, A. V. C. = ab urbe condita, RG. FA. = regis filia, PR. = praetor, COS. = consul cet. Omnia haec compendia ab initio *notae* appellata sunt; ubi vero haud exigua vis eorum praecipue in usum jureconsultorum abiit ut Q. E. R. F. E. D. = quod ejus recte factum esse dicetur, Q. D. E. R. F. P. D. E. R. V. I. C. = quod de ea re fieri placeret, de ea re universi ita censuere, alia ejusmodi, ceteris quidem appellatio generalis mansit, his autem singillatim nomen inditum est *notae juris* vel *juridicae*[1]).

Ab hac simplici notandi ratione distinguenda est tachygraphia Tironis, quae etsi ipsa quoque alphabeto vulgari nititur, tamen litterarum formas ita quasi amputavit, ut origo interdum difficilis sit indicatu. Etiam huic generi scripturae nomen *notae* a Romanis datum est, fortasse quod primo easdem esse ac priores illas notas censebant. Mox autem cognita earum natura a veteribus compendiis prorsus diversa fieri non potuit, quin etiam in sermone alterum genus ab altero sejungeretur. Itaque nomen generale *notae* in novam tachygraphiam translatum est, priora vero compendia, quae nemo non noverat, inde *notae vulgares, notae publicae*[2]) vocata sunt aut qua erant natura *litterae singulae, litterae*

---

[1]) Isid. Hispal. orig. I, 22. Notae juridicae. — Has juris notas novicii imperatores a codicibus legum abolendas sanxerunt. — Magno, archiepiscopus Senonensis: Haec juris σημεῖα lubens rex accipe Carle. — [2]) Isid. Hisp. orig. I, 21 et Petrus Diaconus: Vulgares notas Ennius primus MC invenit. — Valer. Prob.: Ad quas notas publicas accedit etiam studium et volt has jure jam unusquisque familiares sibi et notas...... Publicae sane tenendae sunt... P = Publius, SER. = Servius, A. V. C. = ab urbe condita, P. C. = patres conscripti, cet.

singulares, litterae singulariae[3]). Quae quamquam ita sunt, tamen vel post inventam tachygraphiam vox *nota* latius patens est ubi prisco more non solum notas Tironianas sed etiam priora illa compendia complectatur, ut interdum e sententiarum connexu cognoscamus oporteat, utrum notae Tironianae an siglae intellegantur [4]).

Verisimile est dicendi brevitate hanc ambiguitatem ortam esse, nam *litterae singulares* vel talis enuntiatio longior minusque opportuna erat, vox autem *sigla* haud ita multum ante Justinianum videtur usu recepta esse. De cujus vocabuli etymologia et vera forma non idem omnes judicant, quamquam mea ex sententia res haud difficilis est perspectu.[5])

Ac primum quidem nonnulli vocem *sigla* e lingua Hebraea petunt, ubi שֶׁקֶל, quod a radice שָׁקַל = *pendere, ponderare* ducendum est, primum pondus, deinde numum quendam significat, quem septuaginta interpretes et Josephus [6]) *σίκλον*, Hesychius [7]) et Xenophon [8]) *σίγλον*, Hieronymus [9]) et Isidorus Hispalensis [10]) siclum vocant. Sed quomodo inde ad *siglam* venire licet? Concesso litteram c in g etiam apud Latinos mollitam esse, genus vocis a masculino in femininum mutatum et vocabulorum amborum significationes ita discrepantes, ut ab altera ad alteram vel artificiosissima ratione vix transgredi possis, huic etymologiae obstant.

Alii iique haud pauci non *sigla* sed *siglum* scribendum esse

---

[3]) Cic. pro Murena XI, 25. Res enim sunt parvae prope in singulis litteris atque interpunctionibus verborum occupatae. — Valer Prob.: Qui scribendo aderant quaedam verba ac nomina ex communi consensu primis litteris notabant et singulae quid significarent in promptu erat. — A. Gellius noct. Att. XVII. 9, 2: Litterae singulariae sine coagmentis syllabarum. — [4]) Festus Pompejus: Notae = singulae litterae aut binae. Servius Maurus Honoratus ad Verg. Aeneid. III, 444: Tribus modis futura praedicta sunt aut voce aut scripto aut signis i. e. quibusdam notis, ut in obelisco Romano videmus, vel ut alii dicunt notis litterarum, ut per unam litteram significetur aliquid. — [5]) Cfr. quae scripsi „Zur Sigelfrage" in „Stenogr. Beobachter für und aus Mitteldeutschland" 1874, Nr. 8 u. 9, pagg. 66 et 72. — [6]) Ἰουδαϊκ. ἀρχαιολ. III, 9. Ὁ δὲ σίκλος νόμισμα Ἑβραίων ὢν Ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. — [7]) Sub voce σίγλος: Δύναται ὁ σίγλος δύο δραχμὰς Ἀττικάς. — [8]) Anabas. I, 5, 6. Ὁ δὲ σίγλος δύναται ἑπτὰ ὀβολοὺς καὶ ἡμιοβόλιον. — [9]) In Ezech. I, 4, 9. — [10]) Origin. XVI, 25, 18.

existimant, quod *siglum* e *sigillum* contractum sit. Ain' vero? Equidem ei opinioni assentiri non possum. Nam prisca illa compendia litterae erant, signa autem vel sigilla non idem sunt ac vulgares alphabeti formae, litterae signa nusquam vocantur, immo ab Apollinari Sidonio[11]) disertis verbis signa litteris ita opponuntur, ut illa tachygraphiae notas esse nullo negotio credideris. Adde quod talis contractio qualis est *siglum* e *sigillum* alio linguae latinae exemplo non confirmatur.

Itaque tertia interpretatio restat, quam unam rectam esse contendo. Vox enim *sigla* sine dubio nihil aliud est nisi contracta forma adjectivi *singulus,* quod oriundum est e stirpe indogermanica *sam, sa,* unde multa vocabula unionem significantia ducuntur, ut sanscriticum सकृत् = semel, Graeca *ʿEM-C* = εἷς, *ʿEM-IA* = μία, ἅ-παξ, latina *sem-el, sim-plex. Singulus* hujus stirpis deminutivum est mollitum e *sen-culus,* ut Curtius in elementis etymologiae Graecae[12]) ostendit. Quum vero in multis vocabulis latinis in *-ulus, -ulum* vel tale quid desinentibus vocalis *u* ante *l* saepe eici soleat verbi gratia *unulus-unlus = ullus, vinculum — vinclum, spectaculum — spectaclum, saeculum — saeclum, Asculum — Asclum, Hercules — mehercle,* etiam e *singulus* factum esse *singlus* libenter concedes. Quid quod simili ratione etiam *n* ante *g [singlus — siglus]* evanuit. Haec enim littera, quae primum haud dubie proprio suo ac pleno sono enuntiabatur, procedente tempore praecipue ante *c, ch, g, x, s* ita tabuit, ut mox sonum nasalem, quem grammatici latini *n adulterinum* vocant, assumeret, qualis est in vocabulo francogallico *singulier,* postea omnino non audiretur. Testimonio non solum multa inscriptionum exempla sunt ut *conjucta = conjuncta, defucta = defuncta, pricipi = principi, provicia = provincia*[13]), sed etiam Quintilianus, qui suis temporibus inter pronuntiationem vocabuli *pons* et alterius syllabae vocis *compos* vix ullum discrimen fuisse expresse affirmat Eodem fere modo vocabulum *stilus* — cui nihil cum Graeco στῦλος — ortum est e stirpe *sting*

---

[11]) IX, 1. Tribuit et quoddam dictare celeranti scribarum sequacitas saltuosa compendium, qui comprehendebant s i g n i s, quod l i t t e r i s non tenebant. — [12]) Grundzüge der griechischen Etymologie, edit. IV, pag. 395. — [13]) In monumento Ancyrano.

[di-sting-uo] et gradatim per *stingulus* — *stinglus* — *stiglus* ad eam formam, quam nunc habet, videtur devenisse [14]).

Quae etymologia quamquam his ita expositis per se est verisimillima multo magis confirmatur et prioribus horum compendiorum nominibus [litterae singulae, singulares] et Graeca forma *σίγγλαι* a Justiniano [15]) usurpata et alio loco Justiniani, apud quem primum vox *sigla* legitur. Is enim de variis scribarum generibus disserens notariis opponit singularios; notarii autem sunt tachygraphi qui notis scribunt, itaque singularios esse qui singulis i. e. siglis utuntur nemo non videt.

Extremum illud est, ut paucis quaeramus, quod substantivum adjectivo *siglus* animo addendum sit. Duo tantum vocabula respici queunt, *signum* et *littera*. Verum de *signo* cogitari non posse supra demonstratum est, ideoque una vox *littera* superest, ad quam ipsae circumlocutiones *litterae singulae* nos deducant oportet.

Itaque numero singulari *sigla, -ae*, numero plurali *siglae, -arum* scribendum legendumque esse censeo.

IV.

Quando primum Tiro tachygraphiae operam dederit.

Adolfus Wilbrandtus in fabula, quae inscribitur *Gracchi*, duos notarios orationes excipientes facit. Hoc autem falsissimum est, quia Gracchorum temporibus vix siglarum usus tam promptus fuisse videtur, nedum tachygraphia locum habuerit. Zeibigius enim argumentis dilucidis demonstravit [1]), notas tachygraphicas ante Tironem apud Romanos non fuisse, quod quin ita sese habeat nemo jam dubitat. Quid vero? Si Tironem notarum in-

14) Cfr. Curtius, Grundzüge cet., pag. 214. — 15) De veter. jur. enucl. L. II, § 22. ... *κατὰ τῶν σημείοις τισὶν ἐν τῇ γραφῇ χρωμένων, ἅπερ σίγγλας καλοῦσιν.*

1) Geschichte und Litteratur der Geschwindschreibkunst, pag. 18 sqq.

ventorem esse concedimus, quando primum in ea studia incubuisse putandus est?

Sarpius[2]) notarios primum usurpatos esse censet anno ante Chr. natum septuagesimo in Sicilia, quum Verris causa ageretur. *In prima actione*, inquit, *notarii testimonia stilo exceperint necesse est. Quod si enim non ita fuisset, fieri non potuit, ut Cicero testimonia C. Fannii, M. Luculli, Chlori, Dionis aliorum in prima actione dicta recitanda curaret in altera. Siglae autem ad excipiendas orationes non sufficiebant, itaque necessario tachygraphia jam tunc temporis vigebat.* Sed parum valet haec ratiocinatio! Nam primum ante inventam tachygraphiam orationes, quoad ejus fieri potuit, siglis exceptas esse constat, deinde si Sarpio assentimur, tachygraphiam iis temporibus, quibus ipsa Roma non exercitabatur, per provincias Romanas notam fuisse statuimus, quod vix quisquam crediderit.

Faulmanni quoque sententia[3]), primam orationem Catilinariam Ciceronis a Tirone exceptam esse, reprobanda est. Nusquam apud veteres scriptores tale quid memoratur, Faulmannus potius ita statuisse videtur, quod Koppius in palaeographia sua initium illius orationis notis exaratum exhibet. Verum ex ea una re hanc orationem stilo exceptam esse conicere non licet.

Omnes autem et philologi et stenographi in eo fere consentiunt, Catonis minoris Uticensis contra Catilinarios orationem in senatu habitam notis exceptam esse, de qua Plutarchus[4]) scribit: *Τοῦτον μόνον ὧν Κάτων εἶπε διασώζεσθαί φασι τὸν λόγον Κικέρωνος τοῦ ὑπάτου τοὺς διαφέροντας ὀξύτητι τῶν γραφέων σημεῖα προδιδάξαντος ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων ἔχοντα δύναμιν, εἶτα ἄλλον ἀλλαχόσε τοῦ βουλευτηρίου σποράδην ἐμβαλόντος. Οὔπω γὰρ ἤσκουν οὐδ' ἐκέκτηντο τοὺς καλουμένους σημειογράφους, ἀλλὰ τότε πρῶτον εἰς ἴχνος τι καταστῆναι λέγουσιν.* Mihi vero omnia reputanti animoque perlustranti ne hic quidem locus de tachygraphia videtur acci-

---

[2]) Prolegomena ad tachygraphiam Romanam, pag. 16. — [3]) Die Tironischen Noten, Kammerstenograph 1873, Nr. 4, pag. 60: — — Anfang der Rede des Cicero, in welcher er die Verschwörung des Catilina aufdeckte und bezüglich welcher berichtet wird, dass sie von Tiro und Genossen aufgezeichnet wurde. — [4]) Cat. min. 23.

piendus esse. Ac primum quidem Zeibigius voci τύποις plus aequo momenti attribuit, quum dicat[5]): *Zuerst scheint uns festzustehen, dass in den Worten „Zeichen, welche in kleinen und kurzen Zügen die Bedeutung vieler Buchstaben in sich fassten" eine klare und genügende Andeutung darauf liegt, dass wir es hier nicht mehr mit blosen Siglen zu tun haben; denn diese waren nicht eben kleine und kurze Züge, ihr Wesen bestand vielmehr nur darin, dass e i n Buchstabe die sämtlichen des betreffenden Wortes vertrat. Dann ist es gewiss nicht ganz bedeutungslos, dass hier τύποι steht, nicht γράμματα oder στοιχεῖα. Sollte daraus nicht auch zu schlieszen sein, dass Plutarch nicht an eigentliche Buchstaben, sondern an eigentümliche Zeichen gedacht hat? Die ganze Bemerkung des Plutarch wäre eine müszige, hätte er damit nur sagen wollen, dass gewisse Wörter der Kürze halber auch mit den blosen Anfangsbuchstaben ausgedrückt würden. Das war ja jedermann zur Genüge bekant. Er muss also etwas noch ziemlich Unbekantes im Auge gehabt haben. Hatte der Grieche auch das Wesen der römischen Tachygraphie nicht erfasst, so versuchte er doch, das aüszere Bild, wie es sich ihm bot, treu widerzugeben. — Γράμματα* Plutarchus dicere omnino non poterat, quia hoc vocabulum ipsum statim sequitur, τύπος vero ducendum a radice *TYΠ [τύπτω]* quum plagam ipsam significat, tum quidquid feriendo et pungendo oritur. Itaque τύπος etiam sigla esse potest, quae uno ictu vel ductu stili cerae imprimitur, de signis a litteris vulgaribus diversis cogitemus minime necesse est. Ac siglas si cum vocabulis perscriptis comparaverimus sine ulla dubitatione μικρὰς καὶ βραχείας appellabimus. Neque vero Plutarchi narratio, etiamsi de siglis accipienda est, supervacanea mihi videtur, quoniam hominibus Graecis opera sua destinaverat, quibus tunc neque siglae numerosiores erant neque propria tachygraphia. Non de eo agit, qualibus scribendi compendiis illa verba excepta sint, sed in universum refert, eam Catonis orationem unam servatam fuisse, quia Ciceronis jussu excepta esse dicebatur; quae ratio fuerit illius scripturae Romanae Zeibigio ipso adstipulante Chaeroneensis haud perspexerat.

---

[5]) Geschichte und Litteratur der Geschwindschreibkunst, pag. 23.

At dixerit fortasse quispiam, ut supra Sarpius, fieri non potuisse, ut siglis oratio exciperetur[6]). Huic obstat disertum M. Valerii Probi testimonium[7]), qui *Apud veteres,* inquit, *quum usus notarum nullus esset, propter scribendi facultatem maxime in senatu qui scribendo aderant, ut celeriter dicta comprehenderent, quaedam verba atque nomina ex communi consensu primis litteris notabant, et singulae litterae quid significarent in promptu erat.*"

Quid quod de tachygraphis quominus cogitemus γραφεῖς ipsi prohibent. Acta enim senatus plerumque a scribis tabulis mandabantur, in gravioribus autem rebus a senatoribus ipsis, ut ait Julius Capitolinus[8]): *Hunc autem morem apud veteres necessitates publicae reppererunt, ut si forte aliqua vis ab hostibus immineret, quae vel cogeret humilia captare consilia vel aliqua constituere, quae non prius oporteret dici quam effici, vel si nollent ad amicos aliqua permanare, senatus consultum tacitum fieret: ita ut non scribae, non servi publici, non censuales illis actibus interessent; senatores exciperent, senatores omnium officia censualium scribarumque complerent, ne quid forte proderetur.*

Quae quum ita sint, etiam in causa Catilinaria, quam gravissimam fuisse nemo negat, non scribas sed senatores eo munere functos esse facile credideris. Accedit Ciceronis testimonium, qui in oratione pro Sulla habita[9]) confirmat, illa tempestate senatores scribendo adfuisse. *Itaque,* inquit, *introductis in senatum indicibus constitui senatores, qui omnia indicum dicta, interrogata, responsa perscriberent. At quos viros! non solum summa virtute et fide, cujus generis erat in senatu facultas maxima, sed etiam quos sciebam memoria, scientia, celeritate scribendi facillime quae dicerentur persequi posse.* —

Quis autem est, qui artem a servo inventam et tunc novissimam statim a senatoribus ita exercitatam esse censeat, ut orationes persequerentur, quum praesertim Quintilianus[10]) etiam suis

---

[6]) Cfr. haec Schmitzii in panstenographico [I, 1 pag. 15] verba: Ni fallor compendia illa sive litterae singulares nunquam adhibitae sunt ac ne poterant quidem adhiberi, ut, quidquid pro contione aut in judiciis diceretur, librarii scriberent. — [7]) De notis § 1. — [8]) Gordian. 12. — [9]) Cap. 14. § 41. — [10]) Cfr. Zeibig, Geschichte cet. pag. 26.

temporibus artem bene et notis scribendi a nobilibus plerumque neglectam esse dicat? Credat Judaeus Apella, non ego! Mihi persuasissimum est, Catonis orationem siglarum ope exceptam esse. Ciceronis, qui detecta conjuratione patriam a se servatam esse ubique gloriatur, interesse debebat, omnes orationes de ea re habitas servari. Quum vero scribis usu exercitatis adesse non liceret, eos senatores, qui celeritate scribendi facillime orationes persequi possent, selegit, selectos a nescio quo siglis, quarum multas certe jam antea noverant, studiose instituendos curavit, iique dispositi hic illic per curiam, ne forte oratore caput dextrorsum vel sinistrorsum vertente unum verbum intercideret, divisis inter se partibus, quot quisque verba et quo ordine exciperet, Catonem loquentem stilo secuti sunt. Praeterea si notarum usus tunc floruisset, Ciceroni ratione tam operosa et molesta opus non fuisset, duo tresve notarii suffecissent, vocabula autem *τοὺς διαφέροντας τῶν γραφέων* et *ἄλλον ἀλλαχόσε τοῦ βουλευτηρίου σποράδην ἐμβαλόντος* numerum multo majorem indicant.

Denique quae Plutarchus sub finem addit: *οὔπω γὰρ ἤσκουν οὐδ' ἐκέκτηντο τοὺς καλουμένους σημειογράφους, ἀλλὰ τότε πρῶτον εἰς ἴχνος τι καταστῆναι λέγουσιν* mihi satis demonstrare videntur, de tachygraphia cogitari non posse. Interpretes vocem *τότε* plerumque ita accipiunt, ut significet: illa oratio excepta primus notarum usus fuit. Haec autem interpretatio si comparatur cum verbis praecedentibus *οὔπω γὰρ ἤσκουν οὐδ' ἐκέκτηντο τοὺς καλουμένους σημειογράφους* artificiosissimam et falsam se praebet. Plutarchus nihil aliud dicit nisi Ciceronem operosa illa ratione verba Catonis excipienda curasse, quod tachygraphia nondum in consuetudinem venisset, sed iis maxime temporibus primordia sua cepisset.

Unde id unum efficitur, anno ante Christum natum sexagesimo tertio Tironem notis inveniendis primum operam dedisse, mihique verisimile videtur, illo ipso molesto excipiendi modo concitatum eum ad studia tachygraphica deductum esse. Toto inde animo ad hanc artem excogitandam incubuisse putandus est, quum jam undecimum post annum |52| notarii praeter Tironem fuisse debeant. Asconius enim Pedianus[11]) refert, Ciceronis

[11]) Ad Ciceron. orat. pro Milone § 31: Cicero quum inciperet dicere exceptus est acclamatione Clodianorum, qui se continere ne metu quidem cir-

orationem pro Milone anno quinquagesimo altero habitam a tachygraphis exceptam et ad fidem notationum eorum editam esse minime cum Ciceronis commodo, qui Clodianorum acclamatione adeo perturbatus est, ut non ea, qua solitus erat, constantia diceret, ideoque totam orationem retractatam et mutatam demum publici juris faceret. Si vero Tiro illam orationem excepisset, cum Ciceronis sui incommodo, qua erat amicitia, eam non edidisset[12]. Itaque eo anno notarios praeter Tironem Romae fuisse statuamus oportet.

V.

Isidori Hispalensis de notis locus explicatur.

Omnium narrationum de notis Romanorum memoriae proditarum longe notissimus et gravissimus est locus Isidori[1], quem ita lego:

> Vulgares notas Ennius primus mille et centum invenit. Notarum usus erat, ut, quidquid pro contione aut in judiciis diceretur, librarii scriberent complures simul adstantes divisis inter se partibus, quot quisque verba et quo ordine exciperet.
>
> Romae primus Tullius Tiro Ciceronis libertus commentus est notas, sed tantum praepositionum. Post eum M. Vipsanius Philargyrus et Aquila libertus Maecenatis, alius alias addiderunt. Denique Seneca contractu omnium digestuque et aucto numero opus effecit in quinque milia.
>
> Notae autem dictae eo, quod verba vel syllabas praefixas characteribus notent et ad notitiam legentium revocent; quas qui didicerunt proprie jam notarii appellantur.

Isidorum paene ad verbum transcripsit Petrus Diaconus monachus Cassinensis in praefatione libri *de notis litterarum more Romano* Conrado III imperatori dicati[2], ubi haec conspiciuntur:

---

cumstantium militum potuerunt, itaque non ea, qua solitus erat, constantia dixit. Manet autem illa quoque excepta ejus oratio. Scripsit vero hanc, quam legimus, ita perfecte, ut jure prima haberi possit. — [12]) Cfr. libellum meum „M. Tullius Tiro" pag. 6.

[1]) Origin. I, 21. — [2]) Cfr. Michaëlis, Zeitschrift für Stenographie 1854, Nr. 6. p. 251.

„Vulgares notas Ennius primus mille et centum invenit ad hunc scilicet usum, ut, quidquid per contentationem praesentium diceretur, librarii scriberent complures simul adstantes divisis inter se partibus, quot quisque verba et quo ordine exciperet. Dehinc Tullius Tiro Ciceronis libertus notas praepositionum commentatus est. Post hunc Philargyrus Samius et aliqui Maecenatis alias addiderunt. Deinde Lucius Annaeus Seneca contractis omnibus, digesto et aucto numero opus in quinque milia extendit. Notae autem dictae sunt eo, quod verba vel syllabas praefixis characteribus notent, ut ad notitiam legentium revocent; quas qui scribunt proprie jam notarii appellantur."

Quem locum Isidori quamvis multi sint interpretati, tamen etiamnunc operae pretium est, nonnullas ejus partes breviter tractare. Atque omnes fere commentatores difficultates haud exiguas sibi paraverunt, quod unde Isidorus hanc notitiam hauserit non satis curarunt. Josephus Scaliger quidem et post eum A. Reifferscheidius [3]) totum hunc locum e Suetonio haustum esse affirmant. Verba enim Hieronymi de Tirone [4]) petita esse ex epimetro libri Suetonii de viris illustribus; apud Isidorum autem usum sine dubio eodem fonte atque Hieronymum dimidiam partem eorum verborum fere ad litteram legi, itaque omnia illa probabiliter e Suetonio sumpta esse. Rem vero prorsus aliter se habere et e compluribus scriptoribus locum Isidori petitum esse primus Lehmannus [5]) affirmavit. Isidorum grammaticis potissimum, qui secundo, tertio, quarto saeculo floruerunt, usum in conscribendis *originibus* judicio fere caruisse inter omnes constat. Quaecunque mentione digna legere, omnia excerpere suisque locis in collectanea referre. Quare quum de siglis et notis alia apud alios scriptores legisset, quomodo sententiae inter se discrepantes sociandae essent minime curans omnes deinceps locos operi suo inseruit. Ita nostrum quoque locum ex tribus partibus constare accuratius considerantibus nobis statim apparebit. Prima enim in parte E n n i u s p r i m u s notas invenisse narratur, in secunda

---

[3]) C. Suetonii Tranquilli praeter Caesarum libros reliquiae. Lipsiae 1860. — [4]) M. Tullius Tiro Ciceronis libertus, qui primus notas commentus est, in Puteolano praedio usque ad centesimum annum consenescit. — [5]) Quaestiones de notis Tironis et Senecae, pag. 10.

vero Tiro. Quis autem est, qui unum scriptorem vel neglegentissimum ita a semet ipso dissentire potuisse crediderit? Tum in prima parte Ennium invenisse notas legimus, commentum esse Tironem in altera; praepositiones memorantur in secunda parte, in tertia syllabae praefixae; postremo ii, qui orationes excipiunt, in prima parte librarii vocantur, notarii in tertia. Unus vero scriptor eandem rem diversis verbis significasse vix putandus est. Adde quod Petrus Diaconus sermonis nexum deesse bene perspiciens mutatis aliquot vocabulis perpetuitatem quandam consequi conatus est. Itaque hae tres partes e diversis tribus scriptoribus esse haustae videntur. Ac prima quidem complectens verba *vulgares notas — exciperet* unde petita sit indicari jam nequit. Alteram, quae a verbis *Romae primus* usque ad *quinque milia* pertinet, e Suetonio assumptam esse verisimillimum est, quum tertia clausulam comprehendens ex eodem fonte prodiisse videatur atque Augustini [6]) verba: *Ex eodem genere etiam sunt notae, quas qui didicerunt proprie jam notarii appellantur.* Unde efficitur, ut per se quamque partem contemplari debeamus nulla ratione habita aliarum.

Ennius igitur primus mille et centum vulgares notas invenisse traditur. Jam vero quaeritur, utrum poëta dicatur an Ennius grammaticus [120. a. Chr. n.], cui Suetonius [7]) L. Cottae vestigia secutus libros de litteris syllabisque itemque de metris et de augurandi disciplina volumina adscribit. Qua de re quum diu multumque dubitatum sit et etiamnunc dubitetur, tamen ego libenter vatem Rudinum invenisse notas vulgares crediderim. Primum ab Ennii poëtae persona tale studium minime esse alienum videtur. Is enim ad formalem linguae latinae partem excolendam tanta industria incubuit, ut et hexametrum dactylicum in litteras latinas induceret et geminandas in scriptura consonantes institueret. Ac si praeterea fieri potuit, ut nonnulli, quibus haud scio an adstipuler, libros de litteris syllabisque et de metris ab eodem Ennio poëta scriptos esse putarent, mea quidem ex sen-

---

[6]) De doctrina Christ. II, 26. — [7]) De illustr. grammat. 1. Quod nonnulli tradunt duos libros de litteris syllabisque, item de metris ab eodem Ennio [poëta] editos, jure arguit L. Cotta non poëtae sed posterioris Ennii esse, cujus etiam de augurandi disciplina volumina feruntur.

tentia etiam notarum vulgarium studium in Rudinum cadit. Quid quod latinis scriptoribus fere placuit notissimos homines uno nomine significasse, minus notos pluribus. Itaque quum nomen Ennii ab Isidoro tam simpliciter positum sit, de uno Rudino cogitare debemus.

Hageno [8]) vero neque hic Ennius neque ille probatur, Xenophontis nomen potius vult legi. Quod etiamsi recipere velimus, quamquam nullus liber manu scriptus tale quid exhibet, tamen graves causae quominus in hanc conjecturam discedamus impediunt. Namque Hagenus, ut Xenophontis nomen scriberet, adductus est Justi Lipsii auctoritate, qui in epistula ad Leonardum Lessium data [9]) *Sed notarum istarum,* inquit, *quis primus auctor? Ego libenter Graecis gloriam dederim et nominatim Xenophonti philosopho et historico, de quo Diogenes* [10]), *καὶ πρῶτος ὑ π ο σ η μ ε ι ω σ ά μ ε ν ο ς τὰ λεγόμενα εἰς ἀνθρώπους ἤγαγεν.* Hunc locum Lipsius vertit: *et primus [omnium, quae [a Socrate] dicebantur, n o t i s e x c e p t a in publicum edidit* ideoque Xenophontem notarum tachygraphicarum inventorem esse putat. Falso ut apparet! Verbum enim *ὑποσημειοῦσθαι* nullam tachygraphiae notionem continet, nihil aliud dicit nisi *litteris consignare.* Quod quam verum sit facile ex alio loco ejusdem Laërtii Diogenis [11]) concluditur, ubi Simon sutor *ὧν ἐμνημόνευεν ὑ π ο σ η μ ε ι ώ σ ε ι ς* fecisse i. e post Socratis discessum eas res, quarum meminerat, litteris consignasse, neque vero praesente magistro ejus verba notis excepisse narratur. Accedit quod Thucydides aequalis fere Xenophontis tachygraphiam non noverat, quae si jam tunc fuisset homini tam docto aut cognita aut certe praesto esse debuit. Refert enim orationes ante bellum Peloponnesiacum habitas solum ex memoria reddere se posse his verbis: [12]) *Καὶ ὅσα μὲν λόγῳ εἶπον ἕκαστοι ἢ μέλλοντες πολεμήσειν ἢ ἐν αὐτῷ ἤδη ὄντες χαλεπὸν τὴν ἀκρίβειαν αὐτὴν τῶν λεχθέντων διαμνημονεῦσαι ἦν ἐμοί τε ὧν αὐτὸς ἤκουσα καὶ τοῖς ἄλλοθέν ποθεν ἐμοὶ*

---

[8]) Die Stenographie bei den Alten. Beilage zur Augsburger allgemeinen Zeitung 1873, Nr. 273, pag. 4147. — [9]) Centur I epist. ad Belg. 27. — [10]) Laërtius Diogenes II, 48. — [11]) II, 122. *Σίμων Ἀθηναῖος σκυτοτόμος οὗτος ἐρχομένου Σωκράτους ἐπὶ τὸ ἐργαστήριον καὶ διαλεγομένου τινὰ ὧν ἐμνημόνευεν ὑποσημειώσεις ἐποιεῖτο.* — [12]) *Ξυγγραφ.* I. 22, § 1. —

ἀπαγγέλλουσιν· ὡς δ᾽ἂν ἐδόκουν ἐμοὶ ἕκαστοι περὶ τῶν ἀεὶ παρόντων τὰ δέοντα μάλιστ᾽ εἰπεῖν ἐχομένῳ ὅτι ἐγγύτατα τῆς ξυμπάσης γνώμης τῶν ἀληθῶς λεχθέντων, οὕτως εἴρηται. [13]) — Insuper ne unnus quidem scriptorum, qui ante Christum natum floruerunt, tachygraphiae Graecae mentionem facit, quum postea haec ars haud raro memoretur. Xenophontis igitur nomen in loco Isidori ferri nequit, Rudini tenendum est, quum praesertim non de Graecorum notis sed de Romanorum verba fiant.

Totam autem hanc primam partem de siglis accipiendam esse propter has causas mihi persuasum est. *Vulgares notae* characteres tachygraphiae appellari non possunt, quoniam non ita pervulgatae vel tonsoribus cognitae erant, siglas contra nemo non noverat. Deinde post inventam tachygraphiam unus duove notarii satis fuerunt ad excipiendas orationes et plerumque tam bene opere suo functi sunt, ut ab ipsis poëtis celebrarentur. Ita de uno Manilius [14]) dicit:

Hic et scriptor erit velox, cui littera verbumst,
Quique notis linguam superet cet.

et Ausonius [15]) ad notarium velocissime excipientem:

Puer notarum praepetum
Sollers minister advola ....
Tu sensa nostri pectoris
Vix dicta jam ceris tenes.
Sentire tam velox mihi
Vellem dedisset mens mea,
Quam praepetis dextrae fuga
Tu me loquentem praevenis. cet.

Is autem usus notarum, ut complures librarii simul adstantes scriberent divisis inter se partibus, quot quisque verba et quo ordine exciperet, solum in vulgares notas i. e. siglas cadit, quibus ut unus homo orationem exciperet fieri non potuit. [16]) Eadem

---

[13]) Cfr. etiam Zeibigii Geschichte cet., pag. 8. — [14]) Astronom. IV, 197. — [15]) Epigr. 146. — [16]) Cfr. M. Valer. Probus, de notis, § 1: Namque apud veteres, quum usus notarum nullus esset, propter scribendi facultatem maxime in senatu qui scribendo aderant, ut celeriter dicta comprehenderent, quaedam verba atque nomina ex communi consensu primis litteris notabant, et singulae litterae quid significarent in promptu erat.

ratione, quae hodie *polygraphica* vocatur, etiamnunc homines utuntur tachygraphiae ignari, quum orationem excipiant oportet[17]). Denique si revera Ennius tachygraphiam invenisset, quomodo L. Annaeus Seneca[18]) notas *vilissimorum mancipiorum commenta* vocare potuit? Quomodo Manilius[19]), qui Augusto imperante floruit, notas appellare potuit *nova* i. e. nuper reperta *compendia?* Quomodo fieri potuit, ut Plutarchus[20]) anno ante Christum natum sexagesimo tertio tachygraphos nondum fuisse affirmaret? Haec argumenta satis demonstrant tantum siglas dictas esse. Isidorus autem vulgares notas *siglas* appellari nesciens non dubitavit, quin illae eaedem essent ac tachygraphiae characteres.

Secunda pars nostri loci, quae e Suetonio petita esse videtur, incipit a verbis: *Romae primus Tullius Tiro Ciceronis libertus commentus est notas, sed tantum praepositionem.* Nonnulli eorum, qui Ennio notarum tachygraphicarum inventionem tribuunt, pro *commentus* legunt *commentatus,* quod in libris aliquibus manuscriptis conspicitur. Ennio autem, quod demonstravi, nihil cum notis tachygraphicis, et Zeibigius eos quoque refutavit, qui ab aliis notas inventas esse contendunt. Itaque *commentatus* ferre non possumus, nam ea tantum, quae jam exstant, commentari licet, nova vero comminisci. Atque quum vix credibile sit, Tironem tantum praepositionum vel ut in tertia parte legimus syllabarum praefixarum notas excogitasse — nam his solis compendiis tachygraphia non oritur — errore ductum Suetonium hanc sententiam protulisse libenter putaverim Quaecunque enim notarum collectiones nobis servatae sunt, omnes fere incipiunt a notis praepositionum et vocabulorum cum iis compositorum. Quid igitur facilius accidere potuit, quam ut Suetonius, qui tachygraphiae

---

[17]) Cfr. Zeibigium in „Correspondenzblatt des stenogr. Instituts," Dresden 1857, Nr. 2, pag. 5 sqq. — [18]) Epist. XC. Quid loquar verborum notas, quibus quamvis citata excipitur oratio et celeritatem linguae manus sequitur? Vilissimorum mancipiorum ista commenta sunt. — [19]) Astronomic. IV, 197 sqq:

Hic et scriptor erit velox, cui littera verbumst,
Quique notis linguam superet cursimque loquentis
Excipiat longas nova per compendia voces.

[20]) Cato min. 23. *Οὔπω γὰρ ἤσκουν οὐδ' ἐκέκτηντο τοὺς καλουμένους σημειογράφους, ἀλλὰ τότε πρῶτον εἰς ἴχνος τι καταστῆναι λέγουσιν.*

peritus non erat, quum notarum collectionem videret, primam ejus partem a Tirone inventam, reliqua a Philargyro, Aquila, Seneca addita esse censeret?

Post Tironem notis augendis operam dedisse narratur Vipsanius Philargyrus. Ita enim hoc nomen, cujus diversissimas lectiones codices exhibent, legendum esse nunc inter omnes constat. Unum memorare liceat. In aliquot libris manu scriptis ante *Vipsanius* conspicitur vocabulum *tertius*. Numerus vero ordinalis hic locum non habet, nam si Tiro primus nominatur, Vipsanius Philargyrus, qui statim sequitur, tertius esse nequit. At dixerit fortasse quispiam *Tertius Vipsanius Philargyrus* legendum est! Ne hoc quidem probatur, quia Vipsanius Philargyrus libertus fuit Marci Vispanii Agrippae[21]). Servi autem post manumissionem praenomen et nomen patroni assumere solebant, quum suum ipsorum nomen quasi cognomen tertio loco adderent. Nostro igitur Philargyro tantum nomen *Marcus Vipsanius Philargyrus* fuisse potest, quamobrem ego illud *tertius* ortum esse crediderim e scriptura compendiaria praenominis **m**, quam litteram a librario aliquo pro numero III habitam esse verisimile videtur.

De Aquilae nomine nemo dubitat, quoniam etiam Cassius Dio[22]) notis studuisse eum refert: *Καὶ πρῶτος [Μαικήνας] σημεῖά τινα γραμμάτων πρὸς τάχος ἐξεῦρε καὶ αὐτὰ διὰ Ἀκύλου ἀπελευθέρου συχνοὺς ἐξεδίδαξεν,* ex quo loco Georgius Cedrenus Monachus[23]) haec verba hausit: *Μαικήνας ἀνὴρ σοφός, ὃς καὶ πρῶτος τὰ σημεῖα ἐξεῦρεν.* Nimirum uterque et Cassius Dio et Cedrenus quod proprie servo debebatur patrono attribuerunt more Romano, qui praescribebat *si servus aliquid acquireret, ut hoc non sibi, sed patrono suo acquireret*[24]).

Denique Seneca opus in quinque milia effecisse traditur. Pro *quinque milia,* quod omnes codices exhibent, Krausius[25]) mavult legi *quindecim milia;* sed obstat ejus opinioni collectio notarum Gruteriana, quae quamvis magnum numerum notarum post Sene-

---

[21]) Cfr. Sarpii prolegom., pag. 23. — [22]) Ῥωμαϊκὴ ἱστορία LV, 7 fin. — [23]) Σύνοψις ἱστοριῶν, edit. Xylandri, Goari, Fabroti. Venetiis 1729, pag 237. — [24]) Justinian. instit. de his, qui sui vel alieni juris § 1. — [25]) Zur Geschichte der alten Stenographie. Correspondenzblatt des stenogr. Instituts, Dresden 1859, pag. 48.

cam additarum, praecipue Christianarum habeat, tamen maxime tredecim milia characterum complectitur. Sane quis fuerit ille Seneca diu multumque dubitatum esse video, ut longum sit omnes deinceps sententias enumerare. Quam brevissime rem absolvam. Atque id quidem tenendum est, grammaticum aliquem Senecam, qui Marco Aurelio imperante floruit[26]) dictum non esse, quia Suetonius, ex quo Isidorus hausit, tunc non jam vivebat. Restant igitur duo illi Senecae Cordubenses. Uter vero eorum intellegendus sit, hodie vix dubium videtur, quum codex notarum Matritensis a Schmitzio nuper editus[27]) incipiat ab his verbis: *Incipiunt notas ob eruditione infantum editas ut fertur a Seneca Cordubense poëta*, et quum Hageno teste[28]) codex Bernenis numero 611 insignitus notas digestas esse a Seneca Neronis praeceptore referat. Sequitur, ut Lucium Annaeum Senecam dictum esse statuamus, cujus nomen jam Petrus Diaconus exhibet. Neque obstant huic opinioni verba ejusdem Senecae[29]), quae supra memoravi: *Quid loquar verborum notas, quibus quamvis citata excipitur oratio et celeritatem linguae manus sequitur? Vilissimorum mancipiorum ista commenta sunt.* Quod jam Sarpius[30]) tam bene exposuit, ut ejus verba ipsa afferre mihi liceat: *Negat ille [L. Annaeus Seneca] contra Posidonium disputans, artes, quibus in cottidiano usu vita utitur, a philosophia inventas, sagacitatem hominum, non sapientiam eas invenisse. Sed vel omissa lectione longae epistulae, quae magna ex parte venerabilium Capucinorum rationem refert et ridiculum in modum λογομαχεῖ, ipsa haec verba, quae illi loco sunt proxima, manifesto declarant, quid scriptor voluerit: „sapientia altius sedet, nec manus edocet, animorum magistra est.“ Si vero ita voluerimus argumentari, ut, quidquid in scriptis Seneca contempsit, idem repudiarit in vita, perfacile demonstrabimus, Senecam nec eloquentem fuisse, nec eruditum, nec gloriae cupidum, nec opum immensarum possessorem. Sed Lucius quum et plurima scriberet et dictandi deliciis, id quod ipsius scripta satis prodere videntur, vehementer indulgeret, quid obstabit,*

---

[26]) Krausius ibid. — [27]) Panstenographikon I, 2, pag. 89 sqq. — [28]) Die Stenographie bei den Alten. Beilage zur Augsburger allgemeinen Zeitung, 1873, Nr. 273. pag. 4147. — [29]) Epist. XC. — [30]) Prolegomena cet. pag. 26.

quominus tachygraphiae rationem ita ipsi placuisse arbitremur, ut et notas colligeret et numerum earum augeret? [31])

Postremo pauca mihi addenda sunt de tertia parte nostri loci. Namque omnes codices et editores scribunt: *Notae autem dictae eo, quod verba vel syllabas praefixis characteribus notent.* Quod quomodo accipiendum sit me non intellegere libere profiteor. Cuinam rei characteres praefiguntur? An verbis et syllabis? Hoc fieri nulla ratione potest, quoniam eo scriptura non contrahitur sed producitur. De alia autem re vix cogitaveris. Itaque *praefixis* mutavi in *praefixas*, ut verbis integris syllabae praefixae opponantur. Inveniuntur enim inter praepositiones, a quibus notarum collectiones incipere supra memoravi, etiam illae loquellares *an, con, di, dis, re, se,* quae per se positae nihil omnino significant ideoque aliis vocabulis, ut ita dicam substantialibus jure opponi possunt.

---

[31]) Cfr. etiam Schmitzii Tironiana in symbola philologorum Bonnensium cet., pag. 538.

Numburgi typis Sielingianis.